D. THOMÆ ITTIGII,
P.P. & Superintend. Lipſ.

HISTORIA CONCILII NICÆNI,

OBSERVATIONIBUS MAXIME RECENTIORUM SCRIPTORUM ILLUSTRATA.

L. CHRISTIANUS LUDOVICI, P.P.
recenſuit,

CUJUS CURA ET STUDIO PRÆFATIO, ANNOTATIONES ET RELIQUA ACCESSERUNT.

LIPSIÆ,
Apud HÆREDES TARNOVIANOS,
M. DCC. XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Prænobiliſſimo, Excellentiſſimo & Conſultiſſimo Domino,

DN. JOH. GEORGIO BOERNERO,

Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Poloniarum & Elect. Sax. Conſiliario Aulico & Eccleſiaſtico.

Nec non

Prænobiliſſimo Excellentiſſimo & Conſultiſſimo Domino,

DN. ANDREÆ BEYERO,

Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Poloniarum & Elect. Sax. in Protoſynedrio Conſiliario,

JCTIS CELEBERRIMIS,

Patronis ſuis ſuſpiciendis.

HISTORIAM CONCILII NICÆNI
in publicum obſervantiæ memorisque mentis monumentum
conſecrat

L. C. LUDOVICI.

Digitized by Google

VT celeberrimo Nomini Veſtro Thomæ Ittigii Hiſtoriam Concilii Nicæni inſcriberem, non uno nomine me obſtrictum intellexi. Cum enim omnium rerum ſum̃o Arbitro Deo ita providente, Potentisſimi Regis & Electoris noſtri, ejusque aliquot Anteceſſorum Illuſtrisſimorum indulgentisſima gratia in Protoſynedrio, hoc eſt, in eo Collegio, cui per omnes provincias Electorales Saxonicas circa divinum cultum & diſciplinam Eccleſiaſticam cura atque inſpectio demandata fuit, conſtituti Fi-

Digitized by Google

dem Nicænam, olim a tot Patribus, addo & Martyribus, ſanctis, contra impii Arii inſultus defenſam, nunc etiam adverſus quoscunque alios, ſive puræ doctrinæ, ſive diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſidias tendentes, in his regionibus ſtrenue tutamini; non vidi, cui potiori jure, quam Vobis, Viri Excellentissimi, nuncupatio publica Hiſtoriæ Cōcilii Nicæni debeatur. Publicæ cauſæ accedit privata Pietas. Nam quod B. Autor ante annos abhinc quindecim, tum maxime, cum de talis modi functione Academica ne cogitaret quidem, Profeſſione Theologica extraordinaria, mox & ordinaria ornatus fuerit, hoc quicquid fuit beneficii, fuit autē maximum, Veſtrum in eum Benevolentiæ atque Patrocinio potiſſimum in acceptis referendum eſſe duxit. Quantum vero & ego, qui circa idem fere tempus, Clementiſſimi Regis & Domini mei Indulgentia, profeſſione gemina potiebar, pro facili aditu, pro propenſiſſima voluntate, pro patrocinio mihi præſtito Vobis,

PATRONI Optimi, debeam; tantum abeſt, ut oblivione deleverim, ut potius, cum gratiā referendi facultas defuerit, ſaltim memoria perpetua ſanctisſime ac religioſisſime hactenus coluerim, nunc autem in publicum memoris mentis τεκμήριον hoc B. Affinis mei ſcriptum poſthumum, measque qualescunque operas acceſſorias, ea, qua decet obſervantia & ſubmisſione, dedicare conſtituerim, precatus æternum Numen, ut porro Vobis, & per Vos Eccleſiis Evangelicis cumulatisſime benefaciat, quo nobis ſub remigio Celſisſimi Regis noſtri quietam tranquillamque vitam, in incorrupta fide & Pietate, agere liceat.

Scripſ. Lipſiæ die 21. *April.*
A. 1712.

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

CUm Nicænis Canonibus, veris atque genuinis, non poſſit non in Religionis Chriſtianæ Capitibus confirmandis, magna vis, magnumque robur ineſſe, utpote a Synodo oecumenica prima, ab omnibus particularibus eccleſiis recepta, & Athanaſio Hodeg. c. 9. unigenita Spiritus S. filia dicta, conditis; magno etiam molimine omni tempore id egerunt præ aliis Doctores Pontificii, ut viginti Canones, omnium confeſſione genuinos, non modo Romanæ Curiæ placitis conformiter exponerent; ſed etiam aſſutis multis aliis Canonibus, ſuæ cauſæ vel faventibus, vel ſaltim non adverſantibus, quomodocunque augerent, auctosque defenderent. Adhuc paucis abhinc annis quidam e purpuratis Patribus celeberrimi nominis, JOSEPHUS SAENZ de AGVIRRE, Iſidori Mercatoris, cujus partes etiam in aliis ſtrenue agit, ſententiam, plures ſc. quam viginti canones in Synodo Nicæna ſancitos fuiſſe, magna nube argumentorum protegere anniſus eſt, T. I. Collect. Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ, Part. 1. Apparatus, diſſert. 8. in 7. excurſus diſtributa, pag. 117. ſeqq. In quibus pro corroboranda ſententia iſta tantum ponderis eſſe credit, ut ea *ineluctabilia*, *irrefragabilia*, *urgentiſſima, nec ulli contradictioni obnoxia*, paſſim venditet. Verum tanti ponderis ejus argumenta non eſſe, cuilibet ea expendenti facile patebit. Nam primum non opus eſt,

by Google

Eccleſiam Alexandrinam & Epiſcopos Ægypti, ex Epiſtola III. Conſtantini M. ad Eccleſias, ex Epiſtola Athanaſii de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi, ex Euſebio, ex Can. I. Concilii Antiocheni aliisque prolixe probet, de tempore Feſti Paſchalis in Concilio Nicæno deliberatum, & decretum aliquod ea de re factum fuiſſe; de hoc enim nemo dubitat, ut e §. 57. ſeq. hujus hiſtoriæ videre licet. *Quod vero decretum illud inter Canones Concilii Nicæni relatum fuerit, ideoque plures quam 20. canones, inter quos nullus de Paſcha legitur, memorari debeant*, nullo ineluctabili argumento probare potuit. Etſi enim dicat, Balſamonem in ſcholiis ad Concilium Antiochenum, can. I. aſſeruiſſe, quod ſua adhuc ætate canon de Paſcha inter Canones Nicænos lectus fuerit, ita expreſſe ſcribentem: *præſentis, nempe Antiochenæ, Synodi Patres dicunt de hoc Feſto, a prima Synodo fuiſſe definitum.* ATQUE HOC IN CANONIBUS PATRUM PRIMÆ SYNODI INVENITUR, quæ verba Agvirre majuſculis literis exprimi curavit; deceptum tamen ſe ſentiet, quisquis Cardinali fidem adhibuerit. Balſamon enim in editione Græco-Latina Pariſienſi pag. 811. non dicit, decretum de Paſcha in Canonibus inveniri, ſed contrarium potius dicit, nempe decretum de Paſcha in Actis quidem Concilii Nicæni, non vero in Canonibus inveniri. Ita n. Balſamon: οἱ δὲ τῆς παρέσης συνόδυ ἅγιοι πατέρες λέγεσι, τὰ περὶ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς, ὁρισθῆναι παρὰ τῆς πρώτης συνόδυ. ἐν γοῦν τοῖς κανόσι τῶν ἐν Νικαίᾳ πατέρων τῦτο ἐχ εὕρηται. εἰς τὰ πρακτικὰ δὲ τῆς πρώτης συνόδυ εὑρίσκεται. Quæ Balſamonis ſententia etiam in Græco-Latina Beveregii editione Oxonii e theatro Scheldoniano 1672.

vulgata iisdem verbis exprimitur, p. 443. ἐν γοῦν τοῖς κανόσι τῶν ἐν Νικαίᾳ πατέρων τοῦτο οὐχ εὕρηται, καὶ τὰ λοιπά. Tantum igitur abeſt, ut ex Balſamone irrefragabile argumentum pro ſua ſententia haurire poſſit Cardinalis; ut potius, loco Balſamonis male allegato, inexcuſabilem ſuam negligentiam prodiderit. Deceptus enim videtur a Schelſtrateno, qui in Concilio Antiocheno, Antvverp. 1681. excuſo, p. 157. & 158. Balſamonis verba in hunc ſenſum male & corrupte exhibet: *de Feſto S. Paſchæ, quando debet fieri, ſatis tractatum eſt in 7. Can. Apoſtolico &c. præſentis autem Synodi Sancti Patres dicunt de hoc feſto a prima Synodo fuiſſe definitum. Atque hoc in Canonibus Patrum primæ Synodi invenitur.* Quod ſtatim deprehendere potuiſſet, ſi ipſum Balſamonem conſuluiſſet, & præterea a Balſamone tantum 20. Canones Nicænos, non plures, exponi cogitaſſet. Quod ad Zonaram attinet, quem dicit Cardinalis palam pronunciare ad citatum 1. Can. Conc. Antioch. fuiſſe Canonem de ſolennitate Paſchæ in Nicæna Synodo conditum, id vero palam falſum eſt. Nam Zonaras in Commentario ad illum Canonem hoc tantum pronunciat, decretum editum fuiſſe a Patribus Nicænis de Paſchæ ſolennitate; Canonem conditum fuiſſe non pronunciat; imo Zonaras in ea ipſa editione Pariſienſi a Cardinali allegata p. 323. ut & in Beveregii Synodico, contrarium aſſerit, decretum inter Canones ejus Synodi non inveniri. Φασὶν οἱ τῆς συνόδου ταύτης, τοὺς τῆς πρώτης συνόδου ἁγίους πατέρας ὅρον ἐκθέσθαι, περὶ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, ὃς ἐν τοῖς παρ᾽ ἐκείνων συντεθειμένοις κανόσιν οὐχ εὕρηται. Nimirum decretum editum fuiſſe de Paſcha, nemo negat (conf. §. 57. hujus Hiſtoriæ) nec quiſquam negat, illud decretum in Acta hujus Synodi relatum eſſe, quod & Balſamon admittit (per Acta ve-

Digitized by Google

ro Epiſtolam Synodicam procul dubio intelligit) inter Canones vero relatum id fuiſſe, hoc eſt illud, quod negatur.

Secundo contendit Aguirre p. 121. authentica Concilii Nicæni Acta magnæ molis fuiſſe, & ita infert: *Si in Nicæna Synodo ſolum ſtatuti fuiſſent viginti illi Canones circumferri ſoliti, non fuiſſet locus, ut illius Acta tam grande volumen occuparent.* Sed certis documentis probare non potuit, quod authentica Acta magnæ molis fuerint, conf. §. 3. hujus Hiſt. Neque etiam ex prolixitate Actorum Concilii Nicæni, ſi ea probari poſſet, ſequeretur, plures quam viginti Canones a Patribus Nicænis conditos fuiſſe; utut vim hujus argumenti, ſi recte æſtimetur, magnam eſſe Cardinalis aſſeveret. Nam Epheſini Concilii Acta ſatis prolixa ſunt, & paucos tamen illius Concilii Canones habemus. Imo & pauci illi Canones non ſeorſim editi, ſed partim ex Epiſtola Synodica, partim ex aliis illius Concilii Actis deprompti deprehenduntur. Conf. hæc Acta e typographia Commeliniana A. 1591. edita, cum verſione Peltani A. 1604. ibidem excuſa. Canones vero in Beveregii Synodico p. 99. ſeq. qui horum octo producit, ex Balſamone, Zonara & Ariſteno, Synodico ſuo inſertos:

Tertio urget Cardinalis p. 121. *pleraque Exemplaria Actorum Synodi Nicænæ ab Arianis flammis fuiſſe tradita; viginti vero Canones fraudulenter poſitos ſeorſim ab aliis; ne abſumptis omnibus ipſorum furtum deprehenderetur &c.* Sed probari non poteſt, quod Ariani pleroſque Concilii Nicæni Canones in plurimis Eccleſiis igne deleverint, & tantum viginti illos, quos adhuc habemus, reliquerint. Quorſum enim Ariani tot Canones ad diſciplinam tan-

Digitized by Google

tum ſpectantes, nec illorum doctrinæ adverſantes, delevisſent? Cur non Symbolum potius Nicænum eraſiſſent, ſi Acta Nicæni Concilii corrumpere & mutilare potuerunt? Aut ſi in Canones illos ſævire placuit, cur tantum viginti illos, quos habemus, Canones intactos reliquerint, nulla ſolida ratio dari poteſt. Nam quod viginti illi Canones, anteqnam reliqui conderentur, ſtatim a pluribus deſcripti ſ, & ad varias Eccleſias transmiſſi, atque ſic a cæteris, qui poſtea ſanciti fuerunt, divulſi fuerint; aut quod Ariani de induſtria abhis Canonibus manus ſuas violentas abſtinuerint, ut vim cæteris illatam eo facilius occultare poſſent, ſomnia ſunt, quæ eadem facilitate negari, quam narrari poſſunt. conf. Hiſtoriæ hujus §. 2. 3. 23. 61. ex quibus refutari poſſunt, quæ de Actis Concilii Nicæni ab Arianis combuſtis, de ingenti numero Epiſcoporum præſentium, & Acta deſcribentium, de teſtimonio Abrahami Ecchellenſis, deque aliis præterea prolixe diſſerit Cardinalis p. 121. ſeq.

Quod *quarto* ex Ecchellenſi, Gelaſio, Nicephoro & Anonymo apud Metaphraſten. ſ. Anonymo Combefiſiano p. 123. profert argumentum Aguirre, *Concilium purduraviſſe tribus annis & ultra, intra quod temporis ſpatium tot Acta, Canones, diatyposes & leges edi potuerint, ut libros ſive prægrande volumen implerent*, probari non poteſt. Imo potius probari poteſt, Concilium Nicænum cœpiſſe ſub Conſulatu Paulini & Juliani, in quem Conſulatum Conſtantini M. Vicennalia incidere Auctor Chronici Alexandrini p. 282. obſervavit. Atqui Euſebius lib. 3. de Vita Conſtant. c. 15, & 22. Socrates lib. 1. c. 16. Sozomenus lib. 1. c. 15. & alii Scriptores referunt, Conſtantinum, fini-

Digitized by Google

to Concilio Nicæno, Vicennalia celebraſſe. Unde colligi poteſt, Concilium Nicænum eodem anno, quo cœptum fuerat, finitum & terminatum fuiſſe. Nec audiendos Nicephorum lib. 8. c. 26. Autorem Politiæ Metrophanis & Alexandri apud Photium cod. 256. Anonymum Combefiſianum & alios, qui ultra triennium Concilium Nicænum duraviſſe exiſtimant. Nam quod Euſebium non de integro Concilio finito, ſed tantum de præcipuis ejus Actis, loqui Agvirre excipit, cum ait: p. 124. *quid ſi forte Euſebius ſolum loquatur de præcipuis ejus Synodi Actis, & de controverſia circa ὁμούσιον, quæ potiſſimum* iis *Patribus curæ fuit?* frivolum eſſe cuilibet Euſebium legenti facile patebit. Conf. Hiſtoriæ hujus §. 8. 9. & 10. Præterea ſi verum eſſet, Concilii Nicæni tempus per triennium aut longius duraſſe, nondum ex eo certi eſſe poſſemus, quod plures Canones a Patribus Nicænis conditi fuerint, cum aliæ illius durationis cauſæ eſſe potuerint, nec opus ſit, ut totum hoc tempus Canonibus ſanciendis impenſum dicamus.

Quintum argumentum Cardinali pene ἀναντίῤῥητον, ex Julii I. epiſtola, quæ apud Athanaſium in Apologia 2. legitur, deſumptum, inter alia multa his verbis proponitur: p. 124. *inprimis Julius Romanus Pontifex, qui XI. annis poſt Concilium N. electus fuit, in epiſtola certa & explorata ad Orientales, quam refert Athanaſius Apologia ſecunda, meminit decreti cujusdam Nicænæ Synodi, de prioris Concilii Actis in poſteriori Concilio examinandis &c. At nihil ejusmodi legitur inter* 20. *Canones Nicænos.* Enimvero, ut paucis nos expediamus, inde colligi non poteſt, quod conſuetudo illa in Canonibus Nicænis decreta fuerit. Cum

Digitized by Google

aliud

aliud ſit decretum Concilii Nicæni, aliud decretum ejusdem Canonicum, ſive decretum inter Canones relatum, ut ſupra oſtendimus.

Majorem veritatis ſpeciem primo intuitu habet argumentum, quod *Sexto* e Leonis M. epiſtola 24. (cui & 25. itidem ad Theodoſium Juniorem Auguſtum ſcriptam addere potuiſſet) ad Theodoſium Auguſtum petitur, in qua Leo probaturus neceſſarium eſſe, ut Flaviani cauſa, poſt appellationem interpoſitam, in alio Concilio retractetur, ad Canonum Nicænorum decreta provocat, *id ipſum*, inquit Cardinalis, *palam conſtat ex S. Leone* 1. *Epiſt.* 24. *ad Theodoſium, poſtulante retractatorium Concilium in cauſa Flaviani, appellantis a Conciliabulo ſeu latrocinio Epheſino, juxta decretum Concilii Nicæni. Quam autem, inquit Pontifex, poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, CANONUM NICÆÆ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi Sacerdotibus ſunt conſtituta. Et tamen nihil ejusmodi in iſtis* 20. *Canonibus legitur.* Verum Quesnelius in Notis ad priorem Epiſtolam, quæ in ipſius editione eſt 39. obſervat, quod valde ambiguum ſit, quid de ea ſtatui debeat, & ad calcem poſterioris epiſtolæ, quæ in ipſius editione eſt 40. animadvertit, quod Leo ſub Nicænorum Canonum nomine Sardicenſes intellexerit. Quam ſententiam multis eruditorum, & in his nominatim Petro de Marca, placuiſſe, Agvirre non diſſimulat, etſi eam falſam & erroneam eſſe pronunciet, obtendens, eundem Canonem a Leone allegatum, qui olim a Julio allegatus fuerat, nempe non Sardicenſem ſed Nicænum. Verum Julius in ſua epiſtola, . neque de jure Appellationum egit, neque Canonem aliquem Nicænum

Digitized by Google

num

num ſ. Sardicenſem allegavit. Regerit ulterius, Leonem expreſſe Nicænorum Canonum Decreta nominare, ideoque Sardicenſes Canones intelligere non potuiſſe, ludibrio quippe Adverſariis futurum, ſi Canon ab eo allegatus, re apſe inter Canones Nicænos non extaret. Verum ex hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt omnino Epiſcopos Romanos nonnunquam falſa Canonum Nicænorum allegatione aliis ludibrium debuiſſe. Cum enim Zoſimus ejusque ſucceſſores jus appellandi Romanam Sedem, ſub prætextu Canonis alicujus Nicæni, ab Africanis extorquere conarentur, & Africani authentica Canonum Nicænorum exemplaria conferrent, nihil tale in Canonibus Nicænis invenerunt, qua de re Concilium Carthaginenſe, nomine ſextum, videri poterit, vid. plura huc facientia in Hiſtoriæ hujus §. 67.

Septimo argumentatur ex Ambroſii Epiſtola ad Vercellenſes, in qua Canonem aliquem de digamis non ordinandis in Concilio Nicæno conditum aſſerere videtur, *S. Ambroſius*, inquit, *Epiſtola ad Vercellenſem Epiſcopum ait: ſed prius cognoſcamus, non ſolum hoc Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Concilio Nicæno Tractatus addidiſſe, neque Clericum quendam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus. Nihil tamen ejusmodi legitur in aliquo ex vulgatis illis viginti Canonibus Nicænis, neque in Sardicenſibus.* Ad hoc argumentum Dorſcheus de Concilio Nicæno p. 82. reſpondet, epiſtolam hanc incerti Patris eſſe. Verum cum Poſſevinus, ad quem provocat, non aliam hujus ſententiæ cauſam adducat, quam quod Autor epiſtolæ Venetiarum meminerit, quæ ratio omne ſuum pondus amittit, ſi Autorem epiſtolæ ſub Venetiarum nomine

mine, non urbem, quæ ſane poſt Ambroſii ætatem extructa eſt, ſed regionem, cujus alibi etiam Ambroſius, nempe in Epiſtola 31. ad Valentinianum meminit, intellexiſſe dicamus; ſatius fuerit obſervare, quod Ambroſius in illo loco non *Canonis* ſed *Tractatus* alicujus Nicæni mentionem faciat; vel cum Benedictinis in Notis ad illam epiſtolam, p. 1037. ſtatuere, quod in Codicem Canonum Nicænorum, quo Ambroſius uſus eſt, Canon de digamis non ordinandis ex aliis Conciliis Nicæno additus, & Ambroſius hac occaſione deceptus Canonem illum pro Nicæno habuerit. Conf. Hiſtoriæ hujus §. 66. Nec inſolens quid eſt, Canones diverſorum Conciliorum conjungi atque confundi, ut ex Hiſt. hujus §. 67. liquet.

Octavum argumentum Cardinali Hieronymus ſuppeditare viſus eſt, quod vero non legitur in ejus epiſtola 3. ab eo allegata, ſed CXI. ſeu in Præfatione ad librum Judith, ubi hæc ſcribit Hieronymus: *Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ.* *Hic*, inquit, *aperte indicat, in Nicæna Synodo Canonem de Scripturis authenticis fuiſſe editum. Nec tamen aliquod ejus rei veſtigium invenies apud Canones illos, ſicuti neque apud Sardicenſes.* Enim vero probari ex hoc loco non poteſt, quod Canon aliquis de authenticis Scripturis Concilio Nicæno editus fuerit, cum tantum dicat Hieronymus, quod Synodus Nicæna librum Judith in numero ſacrarum ſcripturarum legatur computaſſe h. e. ut Benedictini interpretantur, quod Synodus Nicæna ſententiam aliquam ex libro Judith recitaſſe memoretur. conf. §. 66.

Nonum argumentum Auguſtinum ſibi ſuggerere opinatur, cum in epiſtola 110, quæ in Benedictinorum editione eſt 213. ſcribit: *adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio.*

lerio, Epiſcopus ordinatus, ſum & ſedi cum illo. Quod Concilio Nicano prohibitum neſciebam. *At ubinam,* inquit *Aguirre, Canon Nicanus, probibens, ut duo Epiſcopi in eadem Eccleſia ſedeant, inter Canones Nicanos?* Reſpondemus eſt inter Canones Nicænos octavus, qui his verbis clauditur? εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύω Ἐπισκοποι ὦσιν. *Si autem boc illi non placeat, vel Chorepiſcopi, vel Presbyteri locum excogitabit, ut eſſe omnino in Clero videatur, ne in civitate duo ſint Epiſcopi.* Eadem habet Canonum Epitome, ſub Alexii Ariſteni nomine in Bibliotheca Juris Canonici Veteris edita, atque a Beveregio Synodico ſuo inſerta. Idem Zonaras in Commentario claris verbis docet. Idem Joſephus Ægyptius in Paraphraſi Arabica. Beveregius etiam in Synodico Auguſtinum dicto loco ad Canonem octavum reſpexiſſe monet, *ſic etiam*, inquit, *D. Auguſtinus ſe excuſat, quod inſcius bujus a Concilio Nicano editi Canonis, ipſe Valerio Epiſcopo Hipponenſi Anteceſſore ſuo adbuc vivente ordinatus fuerit*, ſed quorſum in re tam manifeſta prolixitas?

Ad Epiſtolam 23. Innocentii I. quam *Decimo* urget Cardinalis, cum in hac ad regulam ſequentem, velut in Nicæna Synodo editam, Innocentius provocet: *ne quisquam, qui poſt baptiſmum militaverit, ad ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui cauſas poſt baptiſmum acceptum egerint*, reponimus, quod Labbe in ſuis Conciliis, & poſt eum ipſe Agvirre T. II. Concil. Hiſp. p. 154. nobis reſponſionem ſuggerant, cum uterque in margine hujus epiſtolæ hæc notavit: *Canonem Nicanum, quem Innocentius laudavit, Maximus Sermone 25. citat velut Canonem Taurinenſem.*

Undecimo Cardinalis urget decretum aliquod apud Gelaſium, quod capitibus IX. conſtet, quorum tamen nullum inter

Digitized by Google

ter XX. Canones appareat. *Gelaſius Cyzicenus*, inquit, *quamvis ſolos viginti Canones Nicanos profert, fatetur tamen lib. II. c.30. ab iis Patribus editum decretum novem capita continens, quibus enumeratis procedit ad XX. Canones, in quibus tamen vix aliquid ejusmodi legitur.* Sed perperam Gelaſius Cyzicenus a Cardinali in partes vocatur, cum illum λόγον διδασκαλικὸν περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διατυπώσεων, illum *ſermonem dogmaticum, IX. capitibus conſtantem, de Diatypoſibus Eccleſiaſticis*, a Canonibus expreſſe diſtingvat, nec plures quam viginti Canones agnoſcat. Ut taceam ipſum Cardinalem Tom. I. Conc. Hiſp. p. 122. Diatypoſes Canonibus contradiſtinguere. conf. Amot. ad §. 68.

Duodecimum argumentum e Sozomeno accerſere vult, qui lib. 3. c. 19. in fine dicat: *ex decreto Concilii Nicani, poſt illa verba ab Apoſtolis inſtituta: Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto, addita fuiſſe ſequentia: Sicut erat in principio &c.* Sed neq; lib. 3. neq; uſpiam alibi Sozomenus verba hæc retulit. Mirum itaque, quod pro hoc decreto non potius cum Bona in Tract. de Pſalmodia p. 337. & aliis Canonem 3. Concilii Vaſenſis ſeu Vaſionenſis 1. allegaverit. Verum illum Canonem Vaſenſem forte allegare noluit, vel quod nullam Concilii Nicæni mentionem in eo fieri deprehenderet; vel quod Concilium illud Vaſenſe ſub Julio, ut fertur, celebratum, ſuppoſitum eſſe cum ſuis Canonibus cenſeret cum Sirmondo, T. 1. de Conciliis Gallicis. p. 597. & Antonio in Bibl. Vet. Hiſp. T. 1. lib. 2. c. 6. p. 142. Cæterum etiam Baronius, ex quo hoc argumentum Agvirre deprompſiſſe videtur, Patres Nicænos aliquid circa Doxologiam Eccleſiaſticam decreviſſe ſtatuit; idque ad A. C. 325. n. 173. probaturus, antequam ad Vaſenſem Canonem, quo imprimis nititur, deſcendat, dicit, Sozomenum lib. 3. c. 19. videri indicare, quod ex inſtituto Concilii Nicæni, ſecundum traditam in eo Fidei Formulam, hymni cani conſve-

rint; qui Sozomeni locus in editione Valeſiana lib. III. c. 20. legitur. Verum Sozomenus in illo loco per τὴν παράδοσιν Nicænæ Synodi, non inſtitutum aliquod Nicænum de ratione hymni cantandi, ſed potius doctrinam fidei in Nicæno Concilio traditam intelligit, ut Valeſius Sozomeni verba explicavit. Canonem Vaſenſem quod attinet, ſancitur, ut clauſula per Africam, Italiam & totum Orientem uſitata, etiam in Gallia recipiatur. A quibus autem, & quando introducta fuerit, non additur. Sirmondus aſſerit, primum Vaſenſe Concilium ſub Leone A. 442. habitum, & clauſulam, glorificationi additam, ad Concilium Vaſenſe 2. A. C. 529. celebratum pertinere. Contra nonnulli apud Bonam de Rebus Liturgicis, p. 326. ſtatuunt, clauſulam doxologiæ additam jam ante Concil. Nicænum uſitatam fuiſſe, & ad illam Tertullianum in Tract. de Spectaculis c. 25. reſpexiſſe. conſ. Hiſtoriæ hujus §. 51.

Non majoris momenti ſunt cætera, quæ ſequuntur argumenta, nam quod *decimum tertium* attinet, ubi *Leo I. Papa Epiſtolis* 53. 54. & 55. *multa ex Synodo Nicæna adverſus Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, uſurpantem ſibi jus ſupra Eccleſias Alexandrinam & Antiochenam, proferre dicitur*, certum eſt, quod Leo in dictis Epiſtolis ad Canonem VI. Nicænum reſpiciat, qui ex verſione Balſorei apud Gelaſium ita infit: *antiquus mos valeat, qui in AEgypto eſt, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus omnium poteſtatem habeat, quoniam & urbis Romæ Epiſcopo conſvetum eſt hoc. Similiter autem & apud Antiochiam & cæteras provincias unicuique ſuus ſervetur honor &c.* His enim verbis Nicæna Synodus oblique Conſtantinopolitano Epiſcopo jus ſuper Eccleſias Alexandrinam & Antiochenam abjudicat.

Ad eundem Canonem VI. in Actione Septima, unde A-

gvirre *decimum quintum* argumentum petit, Concilium Epheſinum digitum intendit, allegans privilegium Eccleſiæ Cypriæ collatum a Nicænis Patribus; ſiquidem præter privilegium Epiſcopi Alexandrini & Antiocheni, etiam cæterarum provinciarum Eccleſiis ſua privilegia in memorato Canone vindicantur.

Ad *decimum quartum* argumentum, Concilii Arelatenſis II. autoritate fultum, hæc decernentis: *eos, qui falſo fratribus ſuis capitalia objeciſſe convicti fuerunt, placuit usque ad exitum non communicare, ſicut magna Synodus antea conſtituit, niſi digna ſatisfactione poenituerint*, facilis reſponſio eſt; nimirum non ad Nicænam Synodum, quod Cardinali placet, ſed ad Arelatenſem I. reſpici, quæ ab Auguſtino plenarium Concilium appellatur, quoties is controverſiam de hæreticorum baptiſmo, plenarii Concilii ſententia terminatam eſſe dicit, ut prolixe probat Johannes Launojus in Diſſert. de Notione Plenarii apud Auguſtinum Concilii. Et quid ni Arelatenſe I. *Magna Synodus* appelletur? Sane in Can. 18. Concilii Arelatenſis 2. illud celebratum fuiſſe dicitur in urbe Arelatenſi, ſub Marini tempore, *ex omnibus mundi partibus*, quod idem in Epiſtola Imperatoris Conſtantini ad Chreſtum confirmatur. Imo ſi Adonem Viennenſem in Chronico, & Cummianum Hibernum in epiſtola ad Segienum audiamus, dicendum erit, ſexcentos Epiſcopos Concilio Arelatenſi primo interfuiſſe. Neque enim Concilium hoc provinciale fuit, ut a plerisque Conciliorum Collectoribus & Epitomatoribus perperam inſcribitur, ſed ex variarum provinciarum Epiſcopis collectum. conf. Hiſtor. Schiſmat. Donatiſtarum §. 40. ſeqq. & Bevereg. in Annot. ad Synod. p. 209 ubi notat. magnam Synodum dici omnem Generalem Synodum.

Quod argumentum *decimo ſexto* loco urget Cardinalis, ex Attici fragmento, ad calcem Concilii Chalcedonenſis adje-

cto, in quo Nicæna Synodus rationem ſcribendarum Formatarum determinaſſe perhibetur, ut & argumentum

Decimum ſeptimum e Baſilii Epiſtola 78. exſculptum, tradente *in Nicæna Synodo quadam fuiſſe ſtatuta ad correctionem noxiorum, quadam vero ad præmonitionem eorum, quæ in poſterum occurrere poſſunt*, neutrum prolixa refutatione opus habet. Attici enim fragmentum de Epiſtolis Formatis ſuppoſititium eſt; Baſilii vero verba ad 20. illos Canones Nicænos, quos habemus, optimo jure applicari poſſunt. Atque hinc patet argumenta a Cardinali adducta non magis valida eſſe, quam quæ alii ex Nicolai I. epiſtola 422. Gregorii Turonenſis lib. IX. c. 33. Petri Damiani Epiſtola ad Capellanos Godofredi Ducis Lotharingiæ, & aliis quibusdam Scriptoribus depromunt.

Pari valore, id eſt nullo, gaudet Cardinalis aſſertum de Arabicis Canonibus Concilii Nicæni, quos Alphonſus Piſanus, Franciſcus Turrianus, & auctiores Abraham Ecchellenſis ediderunt, *nimirum nonnullos ſuppoſititios, pleroſque authenticos eſſe*. Nam Canones illos demum poſt Juſtiniani ævum conditos, aſſerit Emmanuel Schelſtratenus Antiquit. Illuſtr. p. 290 & poſt Theophili imperium, Pearſon. Vindic. Epiſtol. Ignat. Part. 1. p. 177. Petrus autem de Marca lib. 2. de Concordia Imperii cum Sacerd. c. 9. ex Canone Collectionis Arabicæ 37. colligit, Collectionem illam poſt annum 900. contigiſſe: & Beveregius, qui in ſuo Synodico ex tribus libris Canonum Nicænorum a Joſepho Ægyptio Arabice ſcriptis, unum tantum, 20. Canones ab omnibus pro Nicænis agnitos continente, edidit, in Annotationibus ſuis p. 211. & 212. ex Nomocanone quodam Arabico Bibliothecæ Bodlejanæ colligit, Arabicos illos Canones, quos Turrianus aliique pro Nicænis venditarunt, Melchitarum opera introductos eſſe. Cui etſi nonnulla op-

la opponat Naironus in Evoplia ſua p. 307. infra in Annotationibus ad §. 61. proferenda, & Arabicorum Canonum Autoritatem vindicare conetur, rectius tamen Arabicos illos Canones repudiarunt Richerius lib. 1. de Concil. c. 2. theſ. 22. & alii. Conf. Hiſt. hujus §. 61. Æthiopicos autem Concilii Nicæni Canones cum Arabicis a Turriano & Ecchellenſi editis convenire, ex titulorum ordine colligit Ludolphus lib. III. Hiſtor. Æthiop. c. IV. n. 30. Cæterum cum Joſephus Ægyptius tres Nicænorum Canonum libros collegerit, uno 20. genuinos complexus, altero Canones 84. qui conveniunt cum 80. Canonibus a Turriano, qui quatuor ultimos omiſit, latine editis, & tertio adhuc alios Canones, quos Europæis hactenus incognitos fuiſſe Beveregius aſſerit, non dubitandum, quin etiam Canones tertio Joſephi Ægyptii libro contenti Patribus Nicænis ſuppoſiti fuerint. Et forte Canones illi Europæis non ſunt plane incogniti. Dicit enim Beveregius p. 210. tertium Nicænorum Canonum librum ita a Joſepho deſcribi, ut ad Reges & Imperatores referatur. Et p. 211. inſcriptionem tertii libri exhibet, qua aſſeritur, contineri illo libro Conſtitutiones de poteſtate in omnes Monachos, & de ratione Præfectum monaſterii eligendi, deque illius officio & adminiſtratione illius poteſtatis ſuper Monachorum & Monialium monaſteria. Atqui Abraham Ecchellenſis non ſolum Canonibus 80. a Turriano editis alios quatuor adjecit; ſed etiam poſt illos 84. Canones Nicænos, exhibet eorundem Patrum Nicænorum decreta 15. de Monachis & Monaſteriis, & varias conſtitutiones eccleſiaſticas numero 19. & alias quaſdam ſanctiones & decreta eorundem Patrum, quæ ex 4. Regum ad Conſtantinum libris decerpta perhibentur, quæ omnia apud Labbeum Tom. II. Concil. p. 318. & ſeq. videri poterunt. Unde colligo Canones tertio Joſe-

phi

Digitized by Google

phi libro contentos ejuſdem eſſe generis cum illis, quos Ecchellenſis poſt 84. Canones exhibet. Conferantur, quæ de Canonibus Arabicis diſſerit Tenzel. Exercit. Sel. Parte I. p. 247. & ſeq.

Ex his omnibus concludimus, non plures, quam 20. Canones a Patribus Nicænis conditos fuiſſe, cum ex Collectione Canonum Eccleſiæ univerſæ, aliisque antiquis Collectionibus, nec non ex Concilio Carthaginenſi, ſupra memorato, item ex Theodoreto aliisque probatis Scriptoribus id probari, neque hæc ſententia per argumenta, a Cardinali Agvirre objecta, infringi poſſit. Aliorum argumenta paſſim in ipſa hac Hiſtoria excuſſa ab Auctore & concuſſa fuerunt. Colophonis loco latere lectorem noluimus, partim quod Hiſtoria hæc e MS. ea, qua fieri potuit, diligentia, fidelitate & accuratione a nobis exhibeatur, partim quod B. Autoris Diſſertatio, de Scriptis ad notitiam Conciliorum & Canonum ſpectantibus, propediem ſeorſim, cum eam Hiſtoriæ Concilii Nicæni, ut conſtitueramus, præfigere non licuerit, lucem publicam adſpectura, reliquæ etiam diſſertationes, ad Apparatum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſpectantes, una poſt aliam inſequuturæ ſint, quas Selecta Capita Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tertii Seculi excipient.

ELEN-

Elenchus Autorum & Scriptorum in Hiſtoria Concilii Nicæni allegatorum,

Subjunctis paragraphis.

A.

ADo Viennenſis. 5. 11. 13
Albaſpinæus Gabriel. 65
Alemannus (Nicolaus) 48
Alexander Alexandrinus. 13
Alexander Natalis. 11. 13. 17. 25. 47. 51. 64. 66.
Alexander & Metrophanes. 5. 10. 27
Alexandrinum Chronicon, 9. 10. 48
Allatius Leo, 64
Ambroſius Camaldulenſis, 3
Ambroſius, 23. 34. 46. 54. 56. 58. 66
Andradius, 36
Anonymi Ecloga Chronologica, 59
Anonymi Collectanea περὶ θεαμάτων, 56
Anonymi Demonſtrationes Chronographica, 56
Anonymi Galli Hiſtoria Concilii Nicæni, 6. 20. 21. 27. 33. 36. 41
Anonymi Præfatio ad Codicem Conciliorum Arabicum, 3
Anonymus apud Combefiſium, 10. 27
Arius, 16. 49. 50. 54
Athanaſius, 2. 3. 12. 16. 18. 21. 23. 25. 36. 40. 44. 45. 46. 48. 49. 52. 53. 54. 56. 66
Auguſtinus Aurelius, 12. 18. 50. 52. 53. 54
Auxilius, 24

B.

Baierus Joh. Guilielmus, 38. 40. 47. 59
Balduinus Franciſcus, 32. 38
Balforeus Scotus Robertus, 4
Balſamon Theodorus, 3. 8
Baluzius Stephanus, 14. 16. 27. 67
Baronius Cæſar, 1. 2. 10. 11. 12. 14. 15. 17. 21. 22. 24. 25. 29. 33. 36. 44. 45. 51. 55. 63. 66
Barthius Caſpar, 12
Baſilius Magnus, 18. 29. 44. 45. 49. 50. 51
Baſnagius Samuel, 12
Bebelius Balthaſar, 17. 43. 44
Bellarminus Robertus, 11. 22. 32. 33. 34. 36. 63. 67
Benedictini Monachi, 58. 66
Beveregius Guilielmus, 8. 10. 23. 61. 65
Beza Theodorus, 38
Binius Severinus, 4. 6. 15. 27. 61. 65

Digitized by Google

Bivarius Franciſcus, 31
Blondellus David, 33. 34
Bona Johannes, 51
Bonaventura Franciſcus, 54
Bovius, Joh. Carolus, 59
Bucherius Ægidius, 58
Bulengerus Julius Cæſar, 36
Bullus Georgius, 38. 48. 49
Busbequius Augerius Gislenius 7
Bzovius Abrahàmus, 11

C.

Cabaſſutius Johannes, 62
Cangius, 14. 24. 48. 56
Calecas Manuel, 53
Calixtus Georgius, 63
Calvinus Johannes, 38
Calovius Abraham, 44. 50
Camerarius Joachimus, 6. 26. 56
Caniſius Henricus, 24. 59
Canonum priſca editio, 9
Canus Melchior, 36
Capellus Antonius, 67
Carpzovius Joh. Benedictus, 47
Caſſiodorus M. Aurelius, 10. 15. 24. 35
Cave Guilielmus, 4. 60
Cedrenus Georgius, 48
Chamierus Daniel, 32. 36. 67. 69
Chemnitius Martinus, 47
Chiffletius Petrus Franciſcus, 11. 12. 56
Chriſtophorſonus Johannes, 9
Codinus Georgius, 56
Collectio antiqua Creſconiana, 10
Combefiſius Franciſcus, 1. 5. 10. 13. 27. 29. 56
Conciliorum Collectio Regia. 6
Conciliorum Generalium editores, 6
Concillorum Labbeana Collectio 6
Concilium Africanum, 67
Arelatenſe, 22. 66
Carthaginenſe III. 66. *VI.* 62. 67
Chalcedonenſe, 8. 9. 44
Conſtantinopolitanum, *III.* 11. 31
Epheſinum, 11. 44. 45
Romanum II. 22. 60
Conſtantini M. epiſtola, 57
Cotelerius Joh. Baptiſta, 12. 15
Creſconiana Collectio, 10
Cruſius Martinus, 8
Curcellæus Stephanus, 47
Cyrillus Alexandrinus, 28. 53. 58

D.

Dallæus Johannes, 46
Dalmatius Cyzicenus, 4
Damaſcenus Johannes, 12. 49. 53
Danæus Lambertus, 12
Dannhauerus Joh. Conradus, 17
Dexter Fl. Lucius, 31
Dionyſius Exiguus, 58. 62
Dodvvellus Henricus, 63
de Dominis Marcus Antonius, 11
Dorſcheus Joh. Georgius, 4. 6. 8. 11. 25. 27. 29. 32. 44. 55. 65. 68.
Dudithius Andreas, 39

E.

Ecchellenſis Abraham, 14. 61
Ebingerus Elias, 65

Ephe-

Ephemerides Moſcorum Figuratæ, 13
Epiphanius Epiſcopus Cypri, 12. 14. 15. 16. 18. 21. 44. 53. 56. 57. 59
Epiſcopius Simon, 38. 39
Equilinus Petrus, 38
Eraſmus Roterodamus, 43. 47
Eſpencæus Claudius, 63
Euſebius Nicomedienſis, 16. 54
Euſebius Pamphili ſ. Cæſarienſis, 3. 7. 8. 10. 11. 12. 14. 16. 17. 19. 21. 23. 24. 25. 30. 33 34. 35 36. 42. 44. 46. 54. 57
Euſtathius Antiochenus, 23. 42
Eutychius Alexandrinus, 2. 3. 8. 10. 13. 23. 26. 31. 59

F.

Facundus Hermianenſis, 31
Fauſtinus, 18. 54. 56
Flacius Matthias 67
Florens Franciſcus, 12
Fontidonius Petrus, 69
Forbeſius Johannes, 18
Fulgentius Ruſpenſis, 46. 54

G.

Galanus Clemens, 31
Gardinerus Samuel, 51
Gaznerius Johannes, 47
Gelaſius Cyzicenus, 4. 11. 14. 15. 21. 24. 27. 28. 31. 36. 60. 62. 68
Gelaſius I. Papa, 11
le Gendre Johannes, 33
Genebrardus Gilbertus, 8
Gerhardus Johannes, 47
Goar Jacobus, 48
Godeau S. Godaldus Antonius, 61
Gothofredus Jacobus, 9. 30. 55
Græco barbarus autor, 8
Gregorius Cæſarienſis, 5
Gregorius X. 1
Gregorius Magnus, 38
Gregorius Nazianzenus, 18. 29. 50. 53. 56
Gregorius Nyſſenus, 18. 53
Gregorius Presbyter, 29. 35. 55
Gregorius VII. 33. 34

H.

Harduinus Johannes, 55
Haupt-Vertheidigung des Augapfels, 66
Hermantius Godef, 65
Hieronymus, 18. 35. 52. 55. 66
Hilarius, 16. 23. 44. 45. 46. 54
Hincmarus Remenſis, 25. 62
Hippolytus Thebanus, 59
Holſtenius Lucas, 15. 68
Hornius Georgius, 54
Hulſemannus Johannes, 17

I.

Jacobus Niſibitanus, 61
Joſephus Ægyptius, 31
Irenicum Irenicorum, 39
Ittigius Thomas, 66
Iſidorus Mercator ſ. Peccator, 3. 66
Juris Canonici Corpus, 11. 12
Juſtellus Chriſtophorus, 9. 24. 66. 67

L.

Labbeana Conciliorum Collectio, 6
Labbeus Philippus, 4. 6. 8. 11. 31 46. 61
Lactantius Cæcilius Firmianus, 14
Lambecius Petrus, 7. 15. 56
Langius Wilhelmus, 510
Langius Johannes, 4
Launojus Johannes, 4. 6. 11. 22. 25. 64. 69.

Leo Magnus, 44.50.51.58.62
Leydeckerus Melchior, 67
Lindanus Guilielmus, 6
Lipomannus, 5
Longus (Franciſus) à Coriolano, 32
Lupus Chriſtianus, 44.65.67
Lutherus Martinus. 47.65
Lydius Johannes, 8.26

M.

Magdeburgenſes Centuriatores, 8
Maimburgius Louis, 15
Manſuetus Epiſcopus Mediolan. 11
de Marca Petrus, 22.25.26.64.67
Marcellus, 56
Mareotici Clerici, 18
Mareſius Samuel, 47
Marius Victorinus, 23
Marius Mercator, 53
Martyr Petrus, 38
de Mendoza Ferdinandus, 63
Menologium Græcorum Baſilianum, 13
Menzerus Balthaſar, 6
Metrophanis & Alexandri politiæ auctor, 5.10.27
Meurſius Johannes, 14
Molanus Johannes, 38
Molinæus Petrus, 17.62
Montacutius Richardus, 30
Morinus Johannes, 24
Morinus Petrus, 21
Mornæus Philippus, 67
le Moyne Stephanus, 45.47
Mullerus, Joh. Jac. 6
Muſculus Wolfgangus, 38

N.

Nauclerus Johannes, 38
Nicæni Concilii Epiſtola Synodica, 56.60
Nicephorus Calliſtus, 10.14.26.27.54.55
Nicetas Choniates 13.24.25.35
Nicolaus I. 33
Nicolinus Dominicus, 6.61
Niemannus Sebaſtianus, 6
de Noris Henricus, 58.67

O.

Origenes, 47
Oroſius Paulus, 14.56
Oſiander Lucas, 65

P.

Pagi Antonius, 2.9.10.12.22.24.55
Papebrochius Daniel 13.28
Pappus Johannes, 66
Paſchale, 9
Pearſon Johannes, 54
Perronius Cardinalis, 26
Petavius Dionyſius, 12.14.15.18.21.24.38.46.49
Phœbadius, 54
Philaſtrius. 12.18.54
Philoſtorgius, 14
Photius Patriarcha, 4.5.10.24.26
du Pin Ellies, 8.15.58.60
Piſanus Alphonſus, 6.61
Platina Baptiſta, 26
Politia Metrophanis & Alexandri, 5.10.
Pontacus Arnoldus, 8
Pontificum Profeſſio Fidei 11
Porphyrius Publius Optatianus, 55

Poſſe-

Digitized by Google

Poſſevinus Antonius, 3.4.6.47
Prædeſtinati Autor, 12
Prateolus Gabriel, 8.60
Proclus, 31
Procopius, 47.48
Pſeudo-Athanaſius, 8

Q.

Quesnel Paſchaſius, 58.62.67

R.

Raderus Matthæus 48
Raynaldus Odoricus, 1
Rainoldus Johannes, 66
Raynaudus Theophilus, 31.47.63
Rechenbergius Adamus, 10
Regia Conciliorum Collectio. 6
Regino Prumienſis, 11
Reiſerus Antonius, 11
Richerius Edmundus, 6. 61. 68
Rivius Johannes, 60
Romani Conciliorum Generalium editores, 6
Ruelius Johan. Ludovicus, 11.38
Rufinus Aquilej. 21.31. 33. 40. 44. 55.56. 60. 62

S.

Sabinus Heracleenſis, 37
Salmaſius Claudius, 62
Sambucus Johannes, 31
Sanderus Nicolaus, 25
Sandius Chriſtophorus, 37. 38. 39. 43. 47. 50. 51.52.54
Scaliger Joſephus, 10.14.15
Schelſtratenus Emanuel, 22.47.59. 60. 61
Schlichtingius Jonas, 44
Schmidius Joh. Andreas, 64
Seldenus Johannes, 2.3. 8. 23.26. 31 37.59
Sirmondus Jacobus, 22. 33. 51.62
Sixtus Senenſis, 54
Smithus Thomas, 68
Socinus Fauſtus, 39.54.56
Socrates, 8. 9. 10. 11. 12.14.16. 17. 18. 19. 21. 23. 25. 28.31.33. 37. 40. 42.44. 54.55.56. 57. 60. 63
Sozomenus Hermias, 7. 10. 11. 12. 13.14. 16.19.23. 26.28. 33.35. 40. 41.44.55.56.60. 63
Spanhemius Fridericus, 64
Spelmannus Henricus, 14
Svicerus Joh. Caſpar, 47.48
Sulpitius Severus, 54.55.56
Surius Laurentius, 5.13.35.
Sylveſtri Excerpta Actorum Synodalium, 60

T.

Tenzelius Wilhelmus Erneſtus, 43. 61
Theariſtus, 62
Theilon, 62

Theodoretus, 7. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 23. 24. 25. 27. 33. 35. 36. 40. 42. 44. 46. 48. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 60. 62
Theodoſianus Codex, 33
Thomaſinus Ludovicus, 11
Timotheus Presbyter, 12
Turrianus Franciſcus, 1. 61

V.

Valeſius Henricus. 2. 7. 8. 9. 18. 24. 30. 35. 42. 46. 54. 55. 56. 60. 63. 64
Valla Laurentius, 43
Velſerus Marcus, 55
Ughellus Ferdinandus, 13
Victor Uticenſis, 52
Victorinus (Marius) Afer, 23. 46. 54
Vigilius Tapſenſis, 54. 56
Vincentius Lirinenſis, 54
Voſſius Gerhardus Joh. 4. 44. 52.

W.

Wujekus, 54. 56

Z.

Zehnerus Joachimus, 13
Zonaras Johannes, 56
Zoſimus l. *Zozimus Papa*, 66
Zwickerus Daniel, 39. 40. 47. 56. 59
Zwingerus Theodorus, 58

SYNO-

Digitized by Google

SYNOPSIS HISTORIAE CONCILII NICAENI.

§. 1.

ACta Concilii Nicæni Conſtantinopoli ſervari Combefiſius conjicit. Eadem Alexandriæ latere, Turrianus non dubitat. In Arabia extare Baronius ſibi perſvadet. Apud Armenos reperiri, Gregorius X. credidit. Ne his in locis genuina Acta fruſtra inquirantur, Auctor veretur.

§. 2.

Non extare amplius C. N. Acta Seldenus non inficiatur. Malitia Arianorum & injuria temporum evanuiſſe Baronius dolet. Baronium latina Athanaſii verſione deceptum fuiſſe Valeſius notat. Idem cum Pagio ex Euſebio concludit, non niſi Fidei Formulam, & Canones, & Epiſtolam Synodicam in C. N. ſcripta fuiſſe.

§. 3.

Acta & Diſputationes C. N. 40. libris comprehenſa fuiſſe Anonymus apud Seldenum commemorat: qui non magis fidem meretur, quam vel Iſidorus, tradens C. N. habere potiorem quam quatuor Evangeliorum magnitudinem; vel Poſſevinus, referens C. N. in Bibliotheca Ravennatis Epiſcopatus viſum fuiſſe. Per Acta C. N. veteres nonnulli Symbolum & Canones, Balſamon vero Epiſtolam Synodicam intellexit. Præcipua C. N. Acta Euſebius, Athanaſius & alii in ſcriptis ſuis retulerunt, ex quibus nonnulli longe poſt, admiſtis falſis rumoribus, Acta C. N. concinnarunt.

§. 4.

Gelaſius primus Acta C. Nicæni, inprimis vero ex Dalmatio collegit, quæ Balforeus Græcè & Latinè edidit. Eadem è Bibliopolio Commeliniano prodierunt. Notatur Poſſevinus. Eadem Acta Binius & Labbeus Tomis Conciliorum inſeruerunt, & ante hos Romani Collectores, Gelaſium multorum errorum

Digitized by Google

rorum poſtulantes, quos Dorſcheus extenuat. Librum III. à primis editoribus per fraudem ſubtractum fuiſſe, nonnullorum ſuſpicio eſt. Voſſius verſionem Junii cum Notis publice promiſit, ſed promiſſis non ſtetit. Qui de Gelaſio ſcripſerunt, interque hos Launojus, ipſi magnam ignorantiam in rebus Eccleſiaſticis tribuens, allegantur.

§. 5.

Gelaſium in colligendis Actis excepit Autor politiæ Sanctorum Patrum Metrophanis & Alexandri apud Photium; à quo non differt Autor Anonymus Actorum Synodi Nicænæ apud Combefiſium. Cui apud eundem præmittitur Gregorii Cæſarienſis Oratio in Patres Nicænos Græcè & Latinè.

§. 6.

Poſt Anonymum è Pontificiis Piſanus Acta C. N. conſcripſit, aliquoties recuſa; in Romana vero, Regia & Labbeana Collectione omiſſa. Notantur eadem à Richerio & Launojo. Piſanum excipit Lindanus, qui Tabulas Naufragii Nicæni edidit, teſte Poſſevino. Lindanum excepit Anonymus, qui hiſtoriam C. N. Gallicè vulgavit. E Lutheranis Dorſcheus, Camerarius, Menzerus, Müllerus aliique de Concilio N. hiſtorias & diſſertationes vulgarunt.

§. 7.

Locus Concilii fuit Nicæa, depicta ab Anonymo apud Lambecium. Ejus facies hodierna per Busbequium. Teſte Euſebio in templo, eodemque teſte in aula habitum fuit Concilium. Tentata à Valeſio conciliatio rejicitur; alia conciliatio probabilior profertur.

§. 8.

Annus vulgaris æræ celebrati Concilii teſte Socrate fuit 325. qui reſpondet anno 19. & 20. Conſtantini M. obſervante Valeſio. Notatur Dupinii error circa annum. Notantur Pſeudo-Athanaſius, Balſamon, Seldenus & Autor Græco-Barbarus in Cruſii Turco-Græcia. Notantur Magdeburgenſes. Occaſio erroris Magdeburgenſium. Notantur denique plures alii in exceſſu defectuque peccantes.

§. 9.

Menſis & dies Concilii cœpti eſt 20. Maji teſte Socrate. Notantur Chriſtophorſonus, Valeſius & Pagi. Judice Autore Chronici Alexandrini aliisque

Digitized by Google

que eſt 19. dies Junii. Quæ ſententia Valeſio placet, diſplicet Godofredo. Godofredi ſententia non ſatisfacit Antonio Pagi.

§. 10.

Finis Concilii fuit eo anno, quo Vicennalia Conſt. M. celebrata fuerunt. Juxta Hanckium ultra Vicennalia prorogatum fuit. Juxta Pagium cum ipſis Vicennalibus cohæſit. Langius à Beveregio notatur. Notantur & alii longius adhuc à vero aberrantes, tam veteres quam recentiores.

§. 11.

Indixit Concilium Conſtantinus M. Notantur nonnulli Sylveſtrum ſubſtituentes. Notantur alii Conſtantinum & Sylveſtrum conjungentes, nixi Concilio Conſtantinopolitano III. Quorum ſententia refutatur. Dorſcheus aliique de convocatione differentes allegantur.

§. 12.

Occaſionem Concilio dedit Arius, ſcribendus per unicum r. judice Barthio. Adhæſit primo Meletio ſchiſmatico; cujus hiſtoria petenda eſt ex Athanaſio potius quam Epiphanio. Tempus ſchiſmatis Meletiani ab Athanaſio indigitatum juxta Baronium eſt A. 306. rectius juxta Pagium 301. Juxta alios Concilium in ſeculum 3. incidit. Autores, qui de Meletianis, quos Athanaſius Epicritianos vocat, ſcripſerunt. Pro voce Epicritianorum Cotelerius vocem Picritianorum ſubſtituit.

§. 13.

Arius deſerto Meletio à Petro Alexandrino Presbyter creatur. Ab eoque rurſus expulſus, non admittitur amplius, per ſomnium monito, ut habent Acta Petri apud Surium. Acta hæc ſpuria judicat Papebrochius.

§. 14.

Arius ab Achilla reſtituitur, paulo poſt ob id occiſo. Quid baucalis ſignificet, exponitur. Philoſtorgius Arianus motuum Arianorum culpam ab Ario in Alexandrum Baucalin transfert. Theodoretus in Arium conjicit. Arius Alexandrum Sabellianiſmi arguens in alterum extremum dilabitur. Cœpit hæreſis ejus ſub Alexandro, qui A. C. 313. Achillæ ſucceſſit. Notatur error chronologicus in Scaligeriana Euſebii Chronici editione. Variæ ſententiæ de initio hæreſeos.

Digitized by Google

§. 15.

Arius in Synodo Alexandr. presbyterii gradu dejectus cum complicibus excommunicatur. Alexandri literæ encyclicæ à Gelaſio omiſſæ. Nomina excommunicatorum. Synodus Alexandrina apud Socratem & Gelaſium, differt à memorata. Ejus epiſtola Synodica. Nomina excommunicatorum. Tempus utriusque. Dupinius tertiam Alexandri epiſtolam producit, eandem cum Lambeciana.

§. 16.

Arius partes ſuas tuetur per legationes, epiſtolas & Concilia. Ex utraque parte controvertentium linguis tanquam telis dimicatur.

§. 17.

Hoſium Alexandriam miſit Conſtantinus Imperator cum literis epanorthoticis ad Alexandrum atque Arium, quas Bebelius irenicas appellans peculiari diſſertatione illuſtravit.

§. 18.

Hoſio præſente Synodus Alexandriæ cogitur. Colluthus in Ordinem redigitur. De Vocibus ἐσίας & ὑποςάσεως *agitur; de quibus & poſt Concilium Nicænum inter orthodoxos contentio non exigua fuit. Quæ in alio Alexandrino Concilio ab Athanaſio compoſita, per Luciferi Calaritani ſchiſma recruduit. Nonnulli tres in Deo ſubſtantias & hypoſtaſes dicere verentur.*

§. 19.

Hoſii quoque fuit diſſidia de Paſchate componere. Quorum compoſitio ut ab aliis, ita & ab Hoſio fruſtra tentata fuit.

§. 20.

Anonymus Gallus notatur, referens Hoſium Acta Legationis ſtatim ad Sylveſtrum retuliſſe, & poſt reditum Imperatori varia ſuggeſſiſſe.

§. 21.

Idem Anonymus commemorat epiſtolam Conſtantini M. ad Arium & Arianos ſcriptam, & a Gelaſio exhibitam. Eandem Gallicè exhibet. Genuinam eſſe vult. Ante Concilium Nicænum ſcriptam affirmat. Valeſius negat. Frivola eſt. Idem Anonymus errat in deſignando initio. C. N.

§. 22.

Digitized by Google

§. 22.

An in Concilio Arelatenſi I. de Arianis actum fuerit? Negatur, quia Canone 8 pro Arianis ſubſtituendi ſunt Afri. Erronea lectio alium errorem chronologicum circa initia hujus Concilii peperit. Launoji error chronologicus. In Concilio Romano A. 324. ut fertur, celebrato, cur Ariani non memorentur? Conjectura Baronii. Sententia Schelſtrateni aliorumque.

§. 23.

Epiſcopos congregatos numerat Eutychius 2048. Athanaſius 318. Aliorum variantes circa numerum ſententia.

§. 24.

Hoſius Concilio N. interfuit, ſed non ut Sylveſtri legatus, quod ex Euſebio conſtat. Notatur Morinus lacunam in Euſebio fingens. Notantur alii urbem Regiam apud Euſebium de Conſtantinopoli interpretantes, quam Theodoretus rectius de Roma accipit.

§. 25.

Petrus de Marca Nicetam, verba Euſebii de Conſtantinopolitano Epiſcopo interpretantem, laudat. Magis laudandus Theodoretus ea de Romano Epiſcopo exponens. Petri de Marca argumentum pro legatione Romana diſcutitur à Sandero, Dorſcheo & Launojo. Contra Launojum nonnulla excipit Natalis Alexander.

§. 26.

Error Sozomeni, aliorumque aſſerentium, legatos Romanos à Julio miſſos eſſe, corrigitur. Corrigitur & error referentium Concilium N. ad utrumque, Sylveſtrum & Julium.

§. 27.

Num Alexander Byzantinus ut Presbyter, vel potius ut Epiſcopus, interfuerit Concilio N. diſquiritur.

§. 28.

Alexander Alexandrinus Diaconum Athanaſium ſecum adduxit, qui, ut Papebrochius ſuſpicatur, integra Acta ſcripſit. A Theona adductum Dalmatium fuiſſe, idem ſuſpicatur.

§. 29.

Juxta Baſilium M. non Leontius, ſed Hermogenes Leontii ſucceſſor

Digitized by Google

Concilio N. interfuit. Baſilium impugnat Baronius, defendunt Dorſcheus & Combeſſius.

§. 30.

Paulinum Tyri nomine Concilio interfuiſſe Godofredus cum aliis negat contra Valeſium. Zenonem interfuiſſe probabile eſt.

§. 31.

Interfuit C. N. Euſtathius, Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Nicomed. Macarius aliique. Porro Ariſtarces Armenus. Nicoſius Gallus. Plures ex Hiſpania adfuiſſe Lucius Dexter fingit. An ex Anglia adfuerint aliqui, Seldenus diſquirit. Qui & ſubſcriptiones Arabicas ſuppeditat, diverſas ab aliis. Subſcriptiones in eo conveniunt omnes, quod mutilatæ ſunt.

§. 32.

De Præſide Concilii diverſa ſententiæ à Bellarmino adducta. Præſidium Concilii Bellarminus legatis Sylveſtri, Chamier & Dorſcheus Conſtantino M. vindicant.

§. 33.

Bellarminus urget è Rufin. l. 1. c. 2. Conſtantinum ſe ſubjectum Epiſcopis agnoſcere. Ex eodem loco Gendrius probat, Legem Conſtantini de Epiſcopali judicio genuinam eſſe. Blondellus Rufinum refutat, notatque, quod Socratem & Theodoretum illius narrationis puduerit: Sozomenus etiam & Gelaſius eandem Hiſtoriam caſtigatiorem referunt. Senſus verborum: puduiſſe Socratem & Theodoretum illius narrationis, exponitur.

§. 34.

Argumentum Bellarmini alterum, depromptum ex Imperatoris & Epiſcoporum conſeſſu ab Euſebio deſcripto, parum roboris habet. Parum etiam præſidii invenit Bellarminus in Gregorii VII. & Ambroſii teſtimoniis.

§. 35.

Quis primum Imperatorem alloquutus ſit, quæritur? Euſebius pro Sozomeno, Hieronymus pro Euſtathio facit. Conciliatio à Caſſiodoro tentata. Quidam Alexandro Alexandrino has partes tribuunt. Quæ exhibetur Euſtathii Oratio, ficta eſt.

§. 36.

Digitized by Google

§. 36.

Conſtantinus, reſpondens Epiſcopis, S. Scripturam controverſiarum judicem commendat. Sententia de Scriptura S. judice controverſiarum vera, at Bellarmini perſvaſio, Arium è traditionibus refutatum fuiſſe, falſa eſt.

§. 37.

Conſultationes ipſæ an accuratæ fuerint? Negat id Sabinus Macedonianus. Sandius ejus librum adhuc extare falſo ſuſpicatur.

§. 38.

Sandius Sabino calumnianti adjungit (1.) Petavium. Sed falſo. (2.) adjungit Calvinum, qui Patres Nicænos vocat fanaticos. (3.) Muſculum, qui vero excuſatur. (4.) Bezam, qui ſimiliter excuſatur. (5.) P. Martyrem, ſcribentem Patres N. affectibus ſuis inſtar furiarum agitatos. Refutatur Martyr. Nicolaum Ario alapam inflixiſſe, falſa Naucleri narratio eſt.

§. 39.

Siniſtrum Calvini judicium de Symbolo N. & Concilii N. autoritate approbat Dudithius. Eadem ſententia eſt Epiſcopii. Imprimis C. N. autoritatem impugnat Zwickerus.

§. 40.

Arium auditum fuiſſe Zwickerus negat. Refutatur ex Collationibus Arii & Epiſcoporum, etiam præſente Conſtantino iteratis. Verba: Epiſcopos ad blaſphemias Arii aures obdûraſſe, commode explicantur.

§. 41.

Quæ Anonymus Gallus refert de prælectis in Concilio Arii ſcriptis, nec non de duplici regula controverſiarum, ab Epiſcopis agnita, falſa ſunt.

§. 42.

Formulæ Fidei, ab Arianis oblatæ, & ab orthodoxis diſcerptæ, Autor fuit Euſebius aliquis. Non Euſeb. Pamphili.

§. 43.

Symboli Apoſtolici Autores ſunt Patres N. juxta Vallam, cujus argumenta

Digitized by Google

menta Eraſmus perperam judicat probabilia. Minus probabiliter a Sandio dici, Symbolum Apoſt. ab Arianis factum eſſe, Bebelius & Tenzelius obſervant.

§. 44.

Sozomenus Symbolum N. omiſit ex arcani diſciplina. Quæ ſuperſtitio alios non tenuit. Symbolum N. an ſine diei & Conſulum nomine editum fuerit? Nicænum noſtrum potius Nicæno-Conſtantinopolitanum eſt. An Nicænum ſit Profeſſio Trinitatis? Quando Fides N. in Gallia innotuerit

§. 45.

An Fidei confeſſio, quæ in Actis Concilii Epheſini exhibetur, condita ſit in Concilio Antiocheno? Affirmatur a Baronio aliisque. Negatur ab Autore, argumento ex voce homouſii petito.

§. 46.

Argutiæ Arianorum, quibus homouſii vocem oppoſuerunt Orthodoxi. Quo ſenſu Ariani homouſion expoſuerint, docet Euſebius. Ariani voce ea tanquam proprio gladio ſe jugularunt.

§. 47.

Lutherum homouſii vocem odiſſe calumnia eſt. Lutherus & Chemnitius memoria labuntur, Eraſmi judicium de voce homouſii. Sphalma aliunde in Carpzovii Iſagogen illapſum. Origenes non negavit filium Dei Patri ὁμοούσιον. *Vox ea in nonnullis Confeſſionibus, etiam ab Orthodoxis, omiſſa reperitur. Autores, qui vocem hanc expoſuerunt, adducuntur.*

§. 48.

Anathema dictum negantibus, filium eſſe æternum. Cur Ariani dicti ſint Exucontii? Cur iidem Exocionitæ dicti? Notatur Raderi geminus error. Notatur Sviceri emendatio erronea, aliaque cujusdam viri docti. Exocionitæ Ariani quales fuerint?

§. 49.

Anathema dictum dicentibus, Filium ex altera hypoſtaſi vel eſſentia eſſe. An hypoſtaſis ab eſſentia hic diſtingvatur? Cur Ariani diatomitæ dicti ſint? Anathema dictum dicentibus, Filium Dei mutationi obnoxium eſſe. Arii reliqua doctrina unde petenda?

§. 50.

Arius Sp. S. ὁμουσίαν *cum Patre negavit. Nazianzenus & Baſilius M. negant in Concilio N. quæſtionem de Sp. S. divinitate ventilatam fuiſſe.*

§. 51.

Arii nova doxologiæ formula. Recte explicata heterodoxa non eſt. Patres

Digitized by Google

tres N. addidiſſe doxologiæ clauſulam: Sicut erat &c. è Vaſenſi Concilio probari nequit. Concilium hoc ſuppoſititium eſt. Clauſula ante Concilium N. addita fuit. Doxologia Eccleſiaſtica vindiciæ.

§. 52.

Arius Bapsiſmi formulam non mutavit. Athanaſius & Hieronymus exponuntur. Ariani baptizatos à Catholicis iterato baptizant. An Ariani docuerint, ſufficere baptiſmum in nomine Filii?

§. 53.

Utrum ipſe Arius, an ejus ſectatores docuerint, Filium Dei tantum corpus humanum aſſumſiſſe?

§. 54.

Alii Arii & Arianorum errores. Doctrina Arii unde petenda ſit?

§. 55.

Solus is Arii error damnatur in C. N. qui in Symb. N. anathemate notatur. Diſſenſus Scriptorum circa complices Arii. An ipſe Arius Fidei N. ſubſcripſerit? Porphyrius ab exilio liberatus quis, & an ipſe Arius fuerit?

§. 56.

Arii perjurium & genus mortis foediſſimum. Statua varie deturpata. Quando obierit? An duo Arii? An ante mortem ab orthodoxis ſuſceptus? De morte ejusque cauſa nonnulli errores.

§. 57.

Convenerunt Patres N. etiam ad lites de Paſchate ſopiendas. Jubent id die dominica celebrari. Renitentes Teſſeradecatitæ dicuntur.

§. 58.

Quod cura de Paſchate una eademque Dominica celebranda Alexandrino Epiſcopo commiſſa fuerit, incertum eſt. Magis incertum, quod Patres N. Enneadecateridem Conſtituerint. Contentiones circa Paſcha tempus poſt Concilium N.

§. 59.

Jam in Arelatenſi C. A. 314. dies Dominica decreta fuit. Huic Decreto Sylveſtri autoritatem interpoſitam fuiſſe fabula eſt. Decretum de Paſchate impugnatur à Zwickero. Lepida fabella Hippolyti Thebani.

§. 60.

Sententia C. N. de Meletio & Meletianis? Narratio Socratis de Aceſio ſuſpecta. Neque Photinus neque Donatiſta in C. N. damnati: neq; Philoſophi Gentiles præſentes fuerunt.

§. 61.

Neque tres Libri Canonum fuerunt juxta Joſephum Ægyptium: neq; 70. aut 80. Canones ex Arabico tranſlati juxta Piſanum & Turrianum: neq; 84. juxta Ecchellenſem.

§. 62.

Digitized by Google

§. 62.

Unde diverſitas apud Rufinum 22. Canones producentem? Cur vigeſimus Canon in Codice Veteri Canonum R. E. omiſſus ſit, diſquiritur?

§. 63.

Canon III. cælibatui non favet. Quænam ſint extraneæ mulieres, in iſto Canone memoratæ, exponitur.

§. 64.

Vexatiſſimus inter Canones Nicænos eſt VI. de cujus intelligentia recta controverterunt Launojus & Valeſius. Item Sirmondus & Salmaſius. Spanhemius & Leo Allatius. Alii Canonem exponentes allegantur.

§. 65.

Qui de reliquis Canonibus commentati ſunt, allegantur. Ut & qui ſpeciatim de Can. 5. 11. 12. 13. 15. 19. aliisque egerunt.

§. 66.

An Canones de libris Canonicis: de Litteris Formatis: de Bigamis non ordinandis: de Sacrificio a jejunio offerendo conditi fuerint in C. N. & perierint? Negatur.

§. 67.

Canonem de Appellationibus ad Romanam ſedem non in Concilio N. ſed Sardicenſi conditum fuiſſe, ex Actis Concilii Carthag. VI. conſtat. Fictitia eſſe Acta hæc Cappellus imprudenter aſſerit. Aliorum aliæ elabendi rimæ. Pontificum fraudem, Canonem Sardicenſem pro Nicæno venditantium, Quesnellus & P. de Marca palliant.

§. 68.

Diatypoſis Canonum C. N. apud Gelaſium extat. Cujus Can. V. de S. Cœna a Dorſcheo illuſtratur. Μετουσιώσεως *nulla in Diatypoſi mentio ſit.*

§. 69.

Vanam inſtantiam eſſe Fontidonii, Nicænos Patres confirmationem à Sylveſtro petiiſſe, Launojus aliique docent. Fides Catholica Arianis oppoſita à Wheloco exhibetur.

I. N. J.

Digitized by Google

J. N. J.

HISTORIA CONCILII NICÆNI.

§. I.

QUod Acta Concilii Nicæni etiamnum Conſtantinopoli ſerventur, ex relatione Sacerdotis cujusdam Græci ad Jacobum Goarum facta colligere videtur *FRANCISCUS COMBEFISIUS Tomo II. Auctarii Novi, Bibliotheca Patrum pag. 570.* Eundem Theſaurum Alexandriæ latere, non dubitavit *FRANCISCUS TURRIANUS*, qui in *Præfatione ad Canones Concilii Nicæni*, ex Arabica lingua in Latinam converſos, ſcribit, codicem Patriarchæ Alexandrini, ex quo Baptiſta Romanus canones deſcripſit, etiam Acta Concilii Nicæni continuiſſe. Nec defuerunt, ut *BARONIUS ad A.C. 325. n. 62.* teſtatur, qui in Arabia hæc Acta extare ſibi perſvaſerunt, quæ etiam apud Armenos reperiri credidit *GREGORIUS X.* quippe qui, cum Armenos ad Concilium Lugdunenſe invitaret, a Rege, nec non a Catholico, ſeu Archiepiſcopo Armenorum poſtulavit, ut integra Nicænæ Synodi ſcripta ad ſe mitterent, cujus argumenti

Digitized by Google

litteras etiam ad Hieroſolymitanum Patriarcham & Anteradenſem Epiſcopum direxit, ut refert *ODORICUS RAYNALDUS Tomo XIV. Annalium, A. C. 1273. n. 4.* Valde autem vereor, ne ſi in prædictis urbibus & regionibus genuina Nicæni Concilii Acta inquirantur, pro Junone nubes, aut pro theſauro carbones inveniantur.

§. II.

Sunt qui Acta Concilij hodie quidem ſupereſſe negant, ea tamen olim in hominum oculis & manibus fuiſſe minime inficiantur; in quorum numero *SELDENUS*, qui in *Commentario ad Eutychii Origines Alexandrinas p. 86.* ante multa abhinc ſecula Nicæni Concilii Acta periiſſe putat; & *BARONIUS*, qui *A. C. 325. n. 62.* jam pridem Arianorum malitia & temporum injuria hæc Acta evanuiſſe dolet, quæ accuratiſsime ſcripta fuiſſe *ATHANASII* teſtimonio probat, quod in ejusdem *libro de Synodis* legitur, *Tomo I. p. 873.* Verum etſi in Latina Athanaſii verſione Actorum a Patribus Nicænis accurate ſcriptorum mentio injiciatur, in Græco tamen textu de Actis nihil legitur, ut notavit *VALESIUS in Annotationibus ad libr. 3. Euſebii de Vita Conſtantini, cap. 14.* quo loco Euſebius tradit, Patres Nicænos, quæ in commune placuerunt, ſcriptis mandaſſe & ſubſcriptione ſua roboraſſe. Ex quo Euſebii loco Valeſius l. c. & cum ipſo *ANTONIUS PAGI in Critica Baroniana n. 16. edit. vero Pariſ. num. 23.* concludunt, nulla Acta præter Fidei Formulam & Canones & Epiſtolam Synodicam in Concilio Nicæno literarum monumentis conſignata fuiſſe, quam ſententiam ex Athanaſii Epiſtola de Decretis Synodi Nicænæ confirmant.

§. III.

Equidem haud deſunt, qui præter Symbolum, Canones & Epiſtolam Synodicam, cætera quoque Nicæni Concilii Geſta literis excepta fuiſſe commemorant, ut *Autor Præfationis ad Codicem Conciliorum Arabicum, apud SELDENUM in Commentario ad Eutych. p. 78.* qui Acta & Diſputationes Concilii Nicæni 40. libros occupaſſe

Digitized by Google

paſſe ſcribit. Verum Autor iſte fidem non magis meretur, quam *ISIDORUS Mercator* ſeu *Peccator* in *Præfatione ad Collectionem Conciliorum a ſe adornatam*, in qua dicit, ſe a fratribus quibusdam cognoviſſe, quod Orientales teſtentur, ſe vidiſſe Concilium Nicænum habens potiorem quam quatuor Evangeliorum magnitudinem &c. Neque pluris æſtimandum *POSSEVINI* teſtimonium, qui in *Apparatu Tomo II. p.137.* narrat, quod Ambroſius Camaldulenſis in Bibliotheca Archiepiſcopatus Ravennatis Concilium Nicænum viderit. Nam in Hodœporico Ambroſii Camaldulenſis hoc tantum dicitur, quod Fidem Concilii Nicæni, membraneis purpureis & aureis literis inſcriptam, Ravennæ legerit. Et veteres nonnulli, qui Actorum Concilii Nicæni meminerunt, Symbolum vel Canones Concilii Nicæni intelligunt. *BALSAMON* autem, cum in explicatione Canonis I. Antiocheni *p. 811.* ad Acta Concilii Nicæni a Canonibus diſtincta provocat, ad Epiſtolam Synodicam reſpexit. Cæterum etſi in ipſo Concilio nulla ferme rerum in eo geſtarum Acta confecta fuerint, Euſebius tamen, Athanaſius & alii, qui huic Concilio interfuerunt, præcipua Acta hujus Synodi & dictis & Scriptis retulerunt, unde eorum notitia ad poſteros propagata fuit. Atque hinc nonnulli, longo poſt Concilium Nicænum tempore, ex diverſis variorum Autorum ſcriptis, veris pariter & falſis, qui ſucceſſu temporis, ut fieri ſolet, admiſti ſunt rumoribus, Acta Synodi Nicænæ concinnarunt, & quandoque propriis figmentis auctiora reddiderunt.

§. IV.

Inter primos, qui ex inſtituto Acta Concilii Nicæni collegerunt, fuit *Gelaſius Cyzicenus*, Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus, qui tres libros elaboravit a Photio in Bibliotheca cap. 15. & 88. recenſitos. Depromſit autem Gelaſius hanc Hiſtoriam circa *A.C. 476.* a ſe concinnatam ex Euſebio aliisque Scriptoribus, & imprimis ex membranis Dalmatii Cyziceni, ut ipſe in Præfatione teſtatur. Græce & Latine cum Notis ſuis hoc Gelaſii opus edidit Pariſiis 1599. *Balforeus Scotus.* Poſtea etiam *Commelinus Heidel-*

Digitized by Google

berga 1604. Gelaſiana iſta Concilii Nicæni Acta vulgavit. In qua editione prior Pariſienſis editio neutiquam diſſimulatur. Unde neſcio, quid ſibi velit *POSSEVINUS, cum in Apparatu Tomo II. p. 137.* Catholicos ſcire cupit, quod Gelaſius ex officina Commeliniana pro re plane nova venditatus & prolatus fuerit. Idem Gelaſii opuſculum *BINIUS in poſteriori Conciliorum editione, & LABBEUS Tomis Conciliorum* inſeruerunt, quod & ante Binium & Labbeum *ROMANI CONCILIORUM GENERALIUM EDITORES A. C. 1608* fecerunt, qui in Præfatione ſua multorum errorum Gelaſium poſtulant. Verum errores illos tanti momenti non eſſe, judicat *DORSCHEUS in Exercitatione ad diatypoſin Concilii Nicæni p. 85. & ſeq.* ubi & multa aliorum de Gelaſio judicia adducit. Cæterum cum in Hiſtoria Concilii Nicæni, quam Gelaſius ſcripſit, non amplius compareant, quæ de Baptiſmo Conſtantini Photius apud Gelaſium ſe legiſſe dicit, non levis apud nonnullos oritur ſuſpicio, quod primi editores ſubtracto per fraudem libro III. tantum epiſtolas quaſdam Conſtantini, quæ totum librum tertium occupant, ſubſtituerint, ne ſententia eorum, qui Conſtantinum Romæ a Sylveſtro baptizatum dicunt, Gelaſii autoritate premeretur, qua de re videatur *CAVE in Hiſtoria Literaria p. 366. & VOSSIUS de Hiſtoricis Græcis lib. II. c. 21.* qui, etſi ſe Gelaſii librum cum Notis ſuis & Latina verſione Soceri ſui Franciſci Junii editurum ibidem policitus fuerit, promiſſis tamen non ſtetit. Conferantur præterea de Gelaſio *LABBEUS de Scriptoribus Eccleſ. Tom. I. p. 339. JOH. LAUNOJUS Part. IIX. Epiſtolarum. epiſtola 1. p. 696. & ſeq.* ubi & Gelaſium incertæ ætatis ſcriptorem eſſe dicit, & magnam in rebus Eccleſiaſticis ignorantiam ipſi tribuit.

§. V.

Gelaſio jungimus Autorem libri, qui inſcriptus fuit: *Politia Sanctorum Patrum Metrophanis & Alexandri.* Quantum enim ex *PHOTIO* conſtat, qui *in Bibliotheca ſua cod. 256.* opus hoc excerpſit, Nicæni inprimis Concilii Hiſtoriam, & quæ Concilium Nicænum præceſſerunt & conſequuta ſunt, Autor ille enarravit; qui etſi ſe

Conſtan-

Digitized by Google

Conſtantino Magno coævum aſſerat, longe tamen recentior videtur. Plane autem cum hoc Auctore, quem Photius excerpſit, convenit *Auctor Actorum Synodi Nicenæ* à *COMBEFISIO* in *Auctario Novo Bibliothecæ Patrum, Part. II. p.* 573. Græcè & Latine vulgatus, quem in Auctario hoc proxime antecedit *Gregorii Cæſarienſis*, in Cappadocia Presbyteri, *Oratio in Patres Nicænos*, quam cum hactenus latinè tantum à *LIPOMANNO* & *SURIO* in Vitis Sanctorum edita fuiſſet, Combefiſius unà cum emendata Lipomanni verſione Græcè ex Codice Regiæ in Gallia Bibliothecæ in lucem publicam emiſit.

§. VI.

Superiori ſeculo *ALPHONSUS PISANUS* de Actis Concilii Nicæni quatuor libros conſcripſit, *Dillingæ* 1512. & *Coloniæ* 1581. editos, Eosdem *primo Conciliorum Venetiis* 1585. *editorum Tomo* inſeruit *NICOLINNS*, cujus exemplum *BINIUS* quoque imitatus eſt. Verum *Romani Conciliorum Generalium editores* hæc Piſani Acta omiſerunt, quæ etiam nec in *Regia Conciliorum Collectione*, nec in *Labbeana* comparent. Docuit autem Piſanus his libris, non quale fuerit Nicænum Concilium, ſed quale ad ſenſum & palatum Jeſuitarum eſſe debuerit, ut judicat *EDMUNDUS RICHERIUS* in *Hiſtoria Conciliorum Generalium lib. I. c. 2. theſ. 22. p. 80.* Cum quo etiam *LAUNOJUS Part. IIX. epiſt. 1.* p. 699. & ſeq. conferri poterit, ubi Opus hoc bonis maliſque artibus mixtum in lucem prodiiſſe ſcribit. Eodem ſeculo *Tabulas Naufragii Nicæni* à *GUILELMO LINDANO* collectas, in quibus aurea Sanctorum Canonum & Actorum Nicænorum ramenta repræſentari perhibentur, memorat *POSSEVINUS* in *Apparatu Tomo I. p. 707. & Tomo II. p. 137.* Quales autem ſint iſtæ ſive Tabulæ ſive Fabulæ, dicere non poſſum, cum ad manus meas hactenus nondum venerint. Gallicè *Anonymus* quidam Auctor A. 1692. Hiſtoriam Concilii Nicæni edidit, reliquorum etiam Conciliorum Generalium Hiſtoriam editurus. E noſtris hoc ſeculo de Concilio Nicæno prolixe egit *DOR-*

Digitized by Google

SCHEUS in *Exercitatione ad Diatypoſin Concilii Nicæni de S. Cœna.* Cui præmiſit, quæ ad integram Concilii Hiſtoriam pertinent. Huic jungi poſſunt *JOACHIMI CAMERARII Hiſtoria Synodi Nicænæ*, & ſeorſim & cum aliis quibusdam ejusdem operibus impreſſa. *MENZERI diſſertatio de Concilii Nicæni Autoritate & Integritate*, ſub *NIEMANNI* præſidio Jenæ habita. *MULLERI Exercitatio* de *Collatione Concilii Nicæni cum Tridentino*, ſub *DANNHAUERI* præſidio Argentorati ventilata; ut alios inferius data occaſione allegandos omittamus. Nunc enim ad rem ipſam accedamus.

§. VII.

Habitum eſt Concilium Nicænum Nicææ, quam Bithyniæ urbem ab anonymo quodam pictore Chriſtiano depictam ex archetypo Bibliothecæ Vindobonenſis exprimit *LAMBECIUS* in Appendice *Tom. VI. p. 256.* Ejusdem ſitum & hodiernam faciem in prima legationis ſuæ Turcicæ epiſtola deſcribit *BUSBEQUIUS*, qui ſe in eadem aula quieviſſe putat, in qua Patres Concilii Nicæni quondam conſederunt. Quæ Busbequii perſuaſio falſa eſſet, ſi Concilium Nicenum in templo habitum fuiſſet, quod innuere videtur *EUSEBIUS lib. III. de Vita Conſtantini M. c. 7.* Verum idem Euſebius in prædicto libro c. 10. locum Concilii Imperatoris palatium fuiſſe dicit, prout Euſebii verba interpretatus eſt, qui Capitibus Euſebiani hujus operis titulos præfixit. Nec aliter de loco Concilii Nicæni ſtatuunt *SOZOMENUS lib. I. c. 19. p. 433. edit. Valeſ. THEODORETUS lib. I. c. 7. p. 25. edit. Valeſ.* Cum igitur Concilium Nicænum ab Euſebio modo in templo, modo in palatio habitum dicatur, *VALESIUS* in *Annotationibus ad Euſeb. lib. III. de Vita Conſtantini c. 10.* exiſtimat, Epiſcopos primum quidem in Eccleſia conveniſſe, ibique controverſias fidei pluribus diebus tractaſſe, tandem vero, die ad finiendum negotium conſtituta, poſtremam ſeſſionem in palatio habuiſſe. Verum quod ultimo tantum Concilii die Epiſcopi in palatio convenerint, probari non poteſt.

Neque

Digitized by Google

Neque autoritati Concilii Nicæni aliquid deceſſurum putamus, ſi in palatio Imperatoris habitum dicamus, quod Valeſius putavit. Neque tamen negamus Concilium Nicænum quandoque etiam in templo conveniſſe, cum *EVSEBIVS lib. III. de Vita Conſtantini cap. 7.* id clare aſſerat, verum iſtos Conventus non tam ad conſultandum, quam ad precandum & cultus divini cauſa inſtitutos arbitramur.

§. VIII.

Convenerunt Nicæni Patres, quantum ad tempus attinet, anno vulgaris æræ 325. In hoc enim incidit Conſulatus Paulini & Juliani, nec non annus ſupra ſexcenteſimum ſextus & trigeſimus ab imperio Alexandri, quibus notis *SOCRATES* tempus Nicænæ Synodi deſignat, *lib. 1. c. 13.* quas notas etiam reperire eſt in actione ſecunda Concilii Chalcedonenſis, *Tom. IV. Concil. edit. LABB. pag. 339.* Cum autem annus vulgaris æræ 325. partim decimo, partim vigeſimo anno Imperatoris Conſtantini reſpondeat, ut *Valeſius* in Notis ad Socratis locum citatum obſervavit, ſatis longe aberrat *Ellies du Pin,* qui annum 325. cum ſecundo Conſtantini anno conjungit, & aliquoties ſecundo Conſtantini anno Concilium Nicænum congregatum dicit *Tomo II. Biblioth. Script. Eccleſ. p. 315. & ſeq.* Corrigendus etiam *Pſeudo-Athanaſius,* qui in Epigraphe Diſputationis, cum Ario habitæ, Synodum Nicænam A. C. 310. factam aſſerit, item *Balſamon*, qui anno imperantis Conſtantini decimo hoc Concilium habitum in Præfat. ad Nicænos Canones adfirmat, & *Dorotheus* quidam à *SELDENO* in *Commentariis ad Eutychium p. 80. ſeq.* productus, qui tempus Nicæni Concilii ad annum 318. retulit, & ob hanc ipſam cauſam non plures quam 318. Patres ad hoc Concilium conveniſſe ſcribit, ut numerus Epiſcoporum annorum numero reſponderet; quem calculum etiam ſequitur *Autor Græco-Barbarus* in *CRUSII Turco-Græcia*, cujus verba à *DORSCHEO p. 10. Exercitation. ad Concilium Nicænum* ex latina verſione allegautur. *MAGDEBUR-*

Digitized by Google

DEBURGENSIBUS Centuria IV. pag. 617. placuit Synodum Nicænam referre *ad A. C. 320. Conſtantini 17. idque* ab Euſebio annotatum dicunt. Verum ut in MSCtis Chronici Euſebiani, pro variis codicibus, numeri Nicæno Concilio appoſiti admodum variant, quod notavit *ARNOLDUS PONTACUS* in *Notis* ad *Euſeb. Chron. p. 88.* Ita non minor in editis Euſebiani Chronici editionibus, ſi inter ſe conferantur, varietas deprehenditur. De Diverſis aliorum quorundam in deſignando Concilii Nicæni anno calculis, quorum aliqui in defectu, alii in exceſſu peccant, videri poterunt *GENEBRARDUS* in *Chronographia p. 561.* & qui verbotenus Genebrardum ſequitur, *LYDIUS in Epiſt. Dedicat.* quam ſuis Animadverſionibus ad Narrationem hiſtoricam omnium Conciliorum à *Prateolo* editam præmiſit. *SELDENUS* in *Commentar. ad Eutychium pag. 80. BEVEREGIUS in Notis ad Can. I. Concilii Nicæni,* p. 42.

§. IX.

Si menſem & diem, quo Concilium cœptum eſt, inquiramus, *SOCRATES lib. 1. c. 13. edit. Valeſ. c. IX. edit. Baſil. 1611.* vigeſimum Maji diem ponit, quem Latini interpretes *CHRISTOPHORSONUS,* & ab hoc deceptus *VALESIUS* perperam in 22. Maji transmutarunt, quem errorem etiam *PAGI in Critica Baroniana* & alii retinuerunt. Diſſentit à Socrate *Auctor Chronici Alexandrini* p. 282. *ad A. C. 325. num.* 3. quod in nova editione *Paſchale* dicitur. Is enim initium Concilii Nicæni refert ad diem 19. menſis Deſii ſeu Junii, quæ dies etiam Concilio Nicæno aſſignatur in Actione 2. *Concilii Chalcedonenſis,* & in *priſca Canonum editione,* quæ legitur in *JUSTELLI Bibliotheca Canonica Tom. I. p. 283.* Et hanc ſententiam veriorem eſſe confirmat *VALESIUS* in *Notis ad Euſeb. pag. 224.* Contra *GODOFREDUS* in *Chronologia Codicis Theodoſiani fol. XXV.* iterumque *in Notis & Commentario ad leg. 3. De Diverſis reſcriptis,* quæ A. C. 325. Niciæ ſeu Nicææ à Conſtantino

10. Cal.

Digitized by Google

10. Cal. Junii data eſt, ex hujus ipſius legis ſubſcriptione concludit Synodum Nicænam menſe Maji habitam fuiſſe, & pro confirmanda hac ſententia præter Socratem adducit *Autorem Chronici Alexandrini, & Acta Synodi Chalcedonenſis.* At vero Chronicon Alexandrinum & Acta Concilii Chalcedonenſis à Socrate diſſentire, jam ſupra diximus. Neque argumentum ex prædicta Conſtantini lege depromptum probat, menſe Majo Concilium Nicænum cœptum fuiſſe, cum probari non posſit, Conſtantinum non ante, quam Concilium celebrandum eſſet, Nicæam veniſſe, ut notavit *ANTONIUS PAGI in Critica Baroniana A, C. 325. n. 5. edit. vero Pariſ. n. 7.*

§. X.

Eodem vero anno Concilium Nicæn. & cœptum & terminatum eſt. Conſtat enim ex *EUSEBIO de Vita Conſt. M. lib. III, c. 15, & 22. SOCRAT. lib. 1. c. 16. SOZOM. lib. 1. c. 25.* Conſtantinum M. finito Concilio Nicæno Vicennalia ſua celebraſſe. Incidunt autem Vicennalia Conſtantini non in Conſulatum Januarii & Juſti, ut in *CASSIODORI Chronico* legitur pag. 392. ſed, juxta *AUTOREM Chronici Alexandrini.* pag. 282. in Conſulatum Paulini & Juliani, h. e. in eum ipſum annum, quo Concilium Nicænum cœptum diximus. Confirmatur hæc ſententia per *antiquam* illam *Collectionem*, quam *BARONIUS Tom. III. Annalium, p. 258. Romanæ editionis* allegat, & *Creſconianam* appellat. In ea enim Concilium Nicænum à die XVIII. Cal. Julii (pro quo forte dies XIII. Cal. Jul. ſcribi debuit) usque ad diem VIII. Cal. Septembr. ejus anni, quo Paulinus & Julianus Conſules fuerunt, duraſſe dicitur. Ex quo juxta *HANCKIUM de Scriptoribus Byzant. pag. 39.* colligi poteſt, Concilium Nicænum poſt Conſtantini Vicennalia per integrum adhuc menſem duraſſe. Cum Natalis Imperii Conſtantini fuerit dies VIII. Cal. Auguſti. Verum *ANTONIO PAGI A. C. 325. n. 3. p. 85. edit. Pariſ. Tom. 1. n. 4. p. 404. edit. Col.* probabilius videtur,

tur, ſolennitatem Vicennalium à die 8. Cal. Auguſti ad diem 8. Cal. Sept. translatam fuiſſe, & ſic finem Concilii Nicæni juxta *EUSEBIUM, SOCRATEM* & *SOZOMENUM* locis ſupra allegatis cum ipſis Vicennalibus Conſtantini cohærere. Conferantur, quæ de Anticipationibus & Dilationibus Vicennalium aliarumque hujus generis ſolennitatibus annotavit *PAGI in Diſſertatione Hypatic. Part. II, c. 2. n. 12. pag. 94.* His igitur poſitis falſa eſt ſententia *WILHELMI LANGII libr. 1. c. 8. p. 101. ſeqq. de Annis Chriſti,* ſtatuentis Concilium Nicænum per annum integrum & duos menſes duraſſe, pro qua ſententia Eutychii Alexandrini Annales allegat. Verum Eutychii verba minus accurate ab ipſo intellecta & explicata monet *BEVEREGIUS in Annotat. ad Concil. I. Nicænum p. 43.* Longius à vero recedit *Auctor Politiæ Metrophanis & Alexandri* apud *Photium Cod. 256. & Anonymus Combefiſianus,* qui per triennium & ſemeſtre ſpatium Concilium Nicænum duraſſe ſcribit, etſi etiam *NICEPHOR. CALLISTUS Lib. IIX. Hiſt. Eccl. cap. 26.* per triennium & paulo longius Nicænum Concilium protractum dicat; nec inter recentiores deſint, qui triennii ſpacium Concilio Nicæno tribuunt, ut *BELLARMINUS lib. I. de Concil. c. V. SCALIGER de Emendatione temporum lib. V. p. 247.* & qui Anonymi ſui patrocinium ſuſcipit, *COMBEFISIUS Auct. Nov. Part. II. pag. 600. RECHENBERGIUS in Appendice ad libros Symbolicos p. 286.* ubi non paucioribus quam tribus duraſſe annis hoc Concilium adfirmat.

§. XI.

Indixit & convocavit Concilium Nicænum Conſtantinus M. teſte *EUSEBIO,* qui huic Concilio interfuit. *lib. III. de Vita* Conſtantini *c. 6.* ut *SOCRATEM lib. 1. cap. 8. SOZOMENUM, lib. 1. cap. 17. THEODORETUM, lib. 1. cap. 7. GELASIUM CYZICENUM, lib. 2. c. 5.* & alios taceamus. Fallunt ergo *ADO VIENNENSIS in Martyrol. prid. Calend. Jan. p. 47. & Regino Prumienſis in Chronico lib. 1. p. 382.* qui Sylveſtri induſtria Synodum Nicænam celebratam dicunt. Non minus fallunt, qui

Digitized by Google

qui ſaltem Conſtantino Magno Concilium hoc indicturo opus fuiſſe cenſent, ut prius Sylveſtri Pontificis Romani conſenſum impetraret. Equidem *BELLARMINUS lib. 1. de Conciliis c. 13. BZOVIUS* in *Romano Pontifice c. 11x. p. 74.* & alii Pontificii frequenter inculcant Actionem 18. *Concilii Conſtantinopolit. III.* quod vulgo *Generale VI.* appellatur. In eo enim à Conſtantino & Sylveſtro Synodus Nic. congregata dicitur. Verum Sextæ Synodo Generali alias Synodos Generales opponimus, easque antiquiores, quæ nulla Sylveſtri mentione facta à Conſtantino Nicænum Concilium indictum & congregatum aſſerunt, ut *Concilium Epheſinum* ejusque Actionem primam, & *ipſum Nicænum*, quod, à quo convocatum fuerit, ingnorare non potuit, in *Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam.* Neque vero Patres Concilii VI. Generalis Sylveſtro Conſtantinum ſubjiciunt, ſed præponunt: & *Manſuetus* Epiſcopus Mediolanenſis *in Epiſt. ad Imperatorem Conſtantinum*, quæ Actis Concilii Sexti Generalis præfixa eſt, à Conſtantino M. Nicænam Synodum indictam ait, *Tomo VI. Concil. pag. 601.* Præterea *BELLARMINUS, BARONIUS* & alii Pontificii, cum ex Concilio Sexto Generali adverſus eos probatur, Honorium Papam Monotheletam fuiſſe, Acta corrupta eſſe dicunt, & adverſarios Romanæ Sedis nomen Honorii hæreticis addidiſſe, vel ſaltem Patres ejus Concilii ſufficientis informationis defectu erraſſe. Nihil obſtat, quo minus ſimili ratione dicatur, à Fautoribus Romanæ Sedis nomen Sylveſtri Conſtantino additum fuiſſe, vel Patres ejus Concilii ex defectu ſufficientis notitiæ, circa indictionem Concilii Nicæni erraſſe, ut notavit *M. ANTON. DE DOMINIS lib. VI. de Republ. Eccl. c. V. num. 6. pag. 594.* Denique fuerunt inter ipſos Pontifices, qui Conſtantini autoritate, citra dependentiam à nutu Sylveſtri, Nicænum Concilium indictum fuiſſe faſſi ſunt, quos inter *GELASIUS I.* in decreto de libris Apocryphis, quod legitur in *Corpore Juris Canonici Diſtinct.* 15. ab his verbis incipiens. *Sancta Romana &c.* quod Decretum ab *Hormiſda Papa* repetitum fuiſſe, docet *Codex*

MSC. productus à Chifletio in Notis ad Vigilium Tapſenſem, pag. 194. Huc ſpectat etiam *Profeſſio Fidei à Pontificibus olim edita,* quæ legitur in *libro Diurno Romanorum Pontificum* per *Job. Garnerium* Jeſuitam edito, *pag. 35.* Cum igitur inter ipſos Pontifices Romanos non defuerunt, qui Conſtantino M. Concilii Nicæni indictionem tribuerunt, haud mirum etiam inter Pontificios non deeſſe, qui Conſtantini juſſu Concilium Nicænum conveniſſe profitentur, in quorum numero *JOHANNES LAUNOJUS,* qui *Part. 6. Epiſt. 1. p. 483. ſeqq.* hanc Controverſiam prolixe tractavit, adverſus quem nonnulla excipit *NATALIS ALEXANDER Diſſ. XI. ſect. IV. p. 82. ſeqq.* in qua quidem concedit, quod Nicæna Synodus à Conſtantino M. convocata fuerit, ex eo tamen inferri poſſe negat, quod poteſtas œcumenica Concilia convocandi ad Pontificem Romanum non pertineat; & præterea Concilium Nicænum non abſque Sylveſtri aſſenſu congregatum aſſerit. Verum Launoji vindicias adverſus Alexandrum ſuſcipit *REISERUS in Tractatu,* quem inſcribit: *Johannes Launojus Teſtis & Confeſſor Veritatis, p. 511.* Conferantur præterea, quæ de Convocatione Concilii Nicæni diſſerunt *DORSCHEUS in Exercit. de Concilio Nicæno p. 44. & ſeq. RUELIUS Tomo II. Conciliorum, pag. 14.* Quid *THOMASINUS* occaſione Concilii Nicæni de jure convocandarum Synodorum diſſerat, *vid. Diſſertat. ejus 3. de Concil.*

§. XII.

Occaſionem Concilii hujus congregandi dederunt inprimis turbæ, quæ per Arium motæ fuerunt, cujus nomen per geminum R. rectius exprimi cenſet *CHIFFLETIUS* in *Notis ad Vigil. p. 137.* Verum aliter videtur *BARTHIO,* qui Arii nomen à notiſſima priſcis Romanis Arriorum gente alienum eſſe judicat, *in Notis ad Phœbad. pag. 46.* Ac primum quidem hic Arius, ut *SOZOMENUS lib. 1. c. 15.* teſtatur, Meletio ſeu Melitio, Ægypti in regione Thebaidos Epiſcopo, ſe adjunxit, qui à Petro Alexandrino ob idololatriam & alia ſcelera exauctoratus ſchiſma fecit,

qua

Digitized by Google

qua de re videri poterit *ATHANASIUS in Apol. 2. p. 603. edit. Commelin. SOCRAT. lib. 1. c. 6. p. 14. THEODORETUS lib. 1. c. 9. & lib. IV. de Hæret. Fabul. c. 7.* Longe plura de Meletio refert *EPIPHANIUS Hæreſ. 68.* Verum *PETAVIUS in Notis ad Epiphanium* ſtatuit, Epiphanium incidiſſe in Acta à Meletiano quodam ſcripta, eaque pro veris & ſynceris habuiſſe, cum certius, qualis Meletius fuerit, ex Athanaſio cognoſcere potuiſſet. Et quamvis *BASNAGIUS in Exercitat. Hiſtorico Criticis p. 305.* Athanaſium potius falſi arguit, quod Meletium tempore perſecutionis idolis ſacrificaſſe aſſerat, & Epiphanio hic potius credendum arbitretur, qui nullam illius criminis mentionem fecit, rationes tamen, quas adducit, non ſatis validæ videntur, & plures adduci poſſunt, quæ Epiphanium in Geſtis Meletii narrandis erraſſe demonſtrant. Tempus Meletiani hujus Schiſmatis indicat *ATHANASIUS in Oratione I. adverſus Arianos,* quæ in Græco textu rectius Epiſtola ad Ægyptios inſcribitur, *pag. 133. edit. Commelin.* Dicit enim, ſe iſta ſcribere anno quinquageſimoquinto, poſt ortum Melet. Schiſm. exacto. Unde *BARONIUS,* qui *T. III. n. 4.* hanc Epiſtolam A. 361. ſcriptam cenſuit, origenem ſchiſmatis Meletiani ad A. C. 306. retulit. Verum *ANTONIUS PAGI A. C. 606. n. 24.* probat, epiſtolam illam Athanaſii ſcriptam circa initium A. 356. adeoque Meletianum Schiſma A. C. 301. ortum ſuum habuiſſe. Unde & *Euſebius lib. IIX. cap. 1. Hiſt. Eccleſ.* ad Meletiani Schiſmatis turbas reſpectum habere potuit, cum ait, quod ob inteſtinas Sacerdotum turbas Deus Diocletianum & Maximianum in Eccleſiam ſævire permiſerit; nec eſt, quod *Baronius* Euſebium falſi arguat, quaſi ſub initium illius perſecutionis nullæ ejusmodi turbæ in Eccleſia fuiſſent. Qui vero Meletianos ad 3. ſeculum referunt, illi forte ſeculorum ordinem à Chriſti paſſione inchoant, *DANÆI* exemplum *in Indice Hæreſium Chronologico* ſecuti, Conferantur præterea de Meletianis *AUGUSTIN. Hereſ. c. 48. Autor Prædeſtinati lib. II. Hæreſ. PHILASTR. c. 89. de Hereſ. DAMASCEN. de Hereſ. c. 68. Timotheus Presbyter* apud *COTELERIUM T. III. p. 396. & 421.*

Digitized by Google

Eccleſiæ Græcæ Monumentorum; ad quem locum obſervat Cotelerius *p. 336.* apud Athanaſium, cum in Epiſt. ad Solitarios *p. 864. edit. Pariſ.* Meletianos Hypocritas Epicritianos appellat, pro Ἐπικριτιανῶν legendum eſſe πικριτιανῶν. Cum enim Meletiani ἀπὸ τοῦ μέλιτος quaſi mellei dicerentur, Athanaſius eos dignos arbitratur, qui potius ἀπὸ τῆς πικρείας fellei ſeu amari nominentur. Quam lectionem longe probabiliorem eſſe judicat, quam *Franciſci Florentis*, qui pro Epicritianorum legi vult Epicurarianorum.

§. XIII.

Deſertis poſtea Meletii partibus Arius Petro Alexandrino adhæſit, à quo etiam Diaconi gradum adeptus eſt. Verum cum Arius nonnulla Petri adverſus Meletianos Acta improbaret, Petrus eum iterum expulit, ut refert *Sozomenus lib. 1. c. 15.* & quamvis cum Petro vivis mox exceſſuro, & martyrum numerum aucturo per Achillæ, Alexandri & aliorum interceſsionem in gratiam redire conatus fuerit, Petrus tamen eum admittere noluit, cum per ſomnium Chriſti tunicam ab Ario leceratam conſpexiſſet, ſi vera ſunt, quæ in Actis Petri Alexandrini à Surio in actis Sanctorum *Tom. VI. d. 26. Novembr. p. 527.* editis referuntur. Verum hæc Petri Acta non minus ac illa, quæ Græcè & Latinè *Combefiſius* edidit, ſuſpectæ fidei eſſe, notat *PAPEBROCHIUS* in *Notis ad Ephemerides Moſcorum Figuratas, fol. 54. & Natalis Alexander ſec. IV. Diſſert. 9.* Fingendæ huic viſioni, quæ etiam *Eutychio in Annalibus Tom. I. p. 406. in Menologio Græcorum Baſiliano* apud *Ughellum T. VI. Italiæ ſacræ p. 1144. AB ADONE VIENNENSI in Martyrol. d. 25. Novembr. p. 189. NICETA Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. V. c. 1.* & aliis recenſentur, occaſionem dediſſe videtur Alexander Alexandrinus in literis ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, in quibus queritur, quod Arius inconſutilem Chriſti tunicam, quam ne carnifices quidem dividere auſi ſint, diſcindere veritus non fuerit. Ita enim de hæreticis Scripturam ſ. convellentibus, aut unitatem

Eccle-

Eccleſiæ & Fidei dividentibus loqui veteres amabant, ut notavit *Zehnerus Adag. Sacr. Cent. V. cap. 95.*

§. XIV.

Ab Achilla Petri ſucceſſore Arius veniam conſequutus ad Diaconi munus rediit, paulo poſt Presbyterii quoque dignitatem impetravit, ut refert *SOZOMENUS lib. I. Hiſt. Eccl. c. 15.* Et hanc ipſam ob cauſam, quod Arium ſuſceperit, à Deo Achillam occiſum fuiſſe, nec ultra ſemeſtre ſpatium Epiſcòpatum obtinuiſſe, refertur *in Hiſtoria Patriarcharum Alexandriæ*, quam edidit *Abraham Ecchellenſis p. 116.* ubi hic Achilles Archelaus appellatur. Fuit autem Arius Presbyter Eccleſiæ ſeu Paroeciæ, quæ Baucalis dicta eſt, ut docet *EPIPHANIUS* Hæreſi *69. n. 1. & 68. n. 4.* confer. etiam de voce baucalis *Meurſius in Lexico Græco-Barbaro pag. 75.* & *Spelmannus* in *Gloſſario Archaeologico p. 77. 78. CANGIUS in Gloſſario Mediæ & Infimæ Latinitatis pag. 509. ſeqq.* & *in Gloſſario Mediæ & Infimæ Græcitatis p. 184. ſeq.* Et Alexandrini quidem genus quoddam vaſis teſtacei baucalin vocare ſolebant, ut notat *Philoſtorgius lib. I. cap. 4.* ubi docet Alexandrum quendam, qui ſecundum ab Ario gradum tenuit, & corporis ſui gibboſitate vaſis hujusmodi ſimilitudinem repræſentavit, cognomento Baucalin dictum fuiſſe, & hunc omnem turbarum, quæ in Arii cauſa natæ ſunt ducem & Autorem extitiſſe. Paulo fuſius, quam à *Photio* in Excerptis factum eſt, Philoſtorgii mentem explicat *Nicephorus lib. IIX. c. 5.* ubi ſcribit, eſſe quosdam, qui dicant, Baucalim, cum Arium ſibi prælatum doleret, eum novorum dogmatum accuſaſſe. Verum Philoſtorgius, cum Arianæ ſectæ addictus fuerit, culpam iſtorum motuum ab Ario in Alexandrum Baucalim tranſtulit; qua in re non magis fidem meretur, quam cum *lib. I. c. 3.* retulit, ſuffragia pro Epiſcopatu in Arium inclinaſſe, Arium autem ultro Alexandrum ſibi prætuliſſe. Magis credendum eſt *THEODORETO*, qui *lib. I. Hiſt. Eccleſ. c. 2.* tradit, Arium, cum poſt Achillæ mortem Epiſcopatus Alexandrini dignitas

tas Alexandro collata fuiſſet, invidiæ ſtimulis agitatum contentionum occaſiones captaſſe. Cum enim aliquando Alexander præſente ſuo Clero de Trinitatis myſterio diſputans in Trinitate unitatem eſſe diceret, Arius Epiſcopum ſuum Sabellianismi arguit, & contentionis ſtudio ad opinionem, cum Sabellii doctrina è diametro pugnantem prolapſus eſt, ut refert *SOCRATES lib. I. c. 5.* Et Alexandro quidem impij Meletii dogmata non ante agnita fuiſſe, quam à Meletio proderentur, *Epiphanius Hæreſ. 68. & 69.* tradidit. Alii, quorum ſententiam *Nicephorus lib. VIII. c. 5.* ſuppreſſis Nominibus commemorat, retulerunt Alexandrum Epiſcopum, cum Alexander Baucalis Arium novorum dogmatum accuſaſſet, utrumque ad diſputationes & Sermonum collationes invitaſſe, & vacillantem nunc Ario, nunc Alexandro adhæſiſſe, tandem vero conſubſtantialem & æternum Dei Filium diſerte pronunciaſſe: quæ narratio cum *SOZOMENO lib. I, c. 15.* plane convenit, niſi quod apud Sozomenum nulla Alexandri Baucalis mentio occurrit. Interim in eo omnes probati Scriptores conveniunt, quod Arius erronea ſua dogmata ſub Alexandri Epiſcopatu ſpargere cœperit. Falſum autem eſt, quod in *Scaligeriana Euſebii Chronici editione* legitur, nempe A. C. 322. Alexandrum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum ordinatum fuiſſe. Petrus enim Alexandrinus obiit juxta *EUSEBIUM libr. VII. Hiſt. Eccl. c. 32.* perſecutionis à Diocletiano motæ, ejusq; Succeſſoribus continuatæ *anno 9. h. e. A. C. 311.* Quod ſi poſt Petri mortem per integrum annum Eccleſia Alexandrina vidua permanſit, ut *GELASIUS CYZICEN. lib. II. Actor. Concil. Nicæni c. 1.* tradit, Achillas anni 312. menſe Novembri, in quem Petri Alexandrini martyrium incidiſſe vetus traditio docet, ordinatus eſt; & cum Achillas, eodem Gelaſio teſte, quinque tantum menſes in illa dignitate vixerit, neceſſe eſt, Alexandrum *A. C. 313.* Achillæ ſucceſſiſſe. Atque hinc etiam de tempore exortæ hæreſeos Arianæ judicandum eſt, de quo prolixe diſſerit *HANCKIUS in Tractat. de Scriptoribus Byzantinis. p. 24. & ſeq.* ubi probat, quod, etſi *Baronii* rationes, ob quas ortum Arianæ hæ-

Digitized by Google

hæreſeos ad annum Chriſti 315. retulit, ad ejusdem annum *num. 19. ſeqq.* minus firmæ ſint, aliunde tamen colligi poſſit, iſto circiter tempore impiam Arii doctrinam innoteſcere cœpiſſe. *Petavius Tom. II. dogmatum Eccleſ. lib. I. de Trinit. c. 7.* *A. C. 317.* Arium hæreſin ſuam diſſeminare cœpiſſe cenſet; cum *OROSIUS lib. VII. cap. 18.* illis diebus Arii hæreſin exortam referat, quibus Criſpus & Conſtantinus junior Cæſares creati ſint. Unde porro colligit apud *LACTANTIUM lib. IV. Inſtit. c. ult.* Arianorum nomen ab aliena manu inſertum eſſe. Verum non opus eſſe, ut Arianorum nomen in prædicto Lactantii loco deleatur, colligi poteſt ex iis, quæ diſſerit *BALUZIUS in Notis ad Lactantium de Mortibus Perſecutorum,* p. 348. 350. 351.

§. XV.

Cum vero Arius errores ſuos pertinaciter defenderet, & alios quoque peſtis illa afflaret, Alexander, quem juxta *MAIMBURGIUM in Hiſtoria Arianiſmi lib. 1. p. 32.* nimia lenitas & Hæreſiarchæ fraudes velut in profundum ſomnum demerſerant, excitatus tandem in Synodo Alexandrina Arium Presbyterii gradu dejecit, & unà cum aliis ſententiam ejus amplectentibus excommunicavit. Scriptis ad Eccleſias literis Encyclicis, quarum ſpecimen exhibet *THEODORETUS lib. 1. c. 4.* & *CASSIODORUS* in *Tripartita lib. 1. c. 14.* Inſcripta eſt hæc Epiſtola Alexandro Conſtantinopolitano, ſimul tamen etiam ad alios directa, ut ex compellationibus, quæ in medio & fine hujus epiſtolæ occurrunt, colligi poteſt. Unde & plures Epiſcopos, ad quos Alexander ſcripſit, nominat *THEODORETUS l. c. circa finem epiſt.* & poſtea quoque plures in hoc negotio ab Alexandro epiſtolas ſcriptas fuiſſe, tradit *EPIPHANIUS Hæreſ. 69. n. 4. p. 730.* Cur vero *GELASIUS* epiſtolam Alexandri ad Alexandrum Conſtantinopolitanum ſilentio prætermiſerit, mirari ſe non ſatis poſſe ait *VALESIUS* in *Notis ad THEODORETUM pag. 4.* Verum in promptu cauſa eſt: putavit enim Gelaſius proximis ante Concilium Nicænum annis, & ipſius Concilii

tempore Epiſcopum Conſtantinopolitanum fuiſſe non Alexandrum ſed Metrophanem. At *HOLSTENIUS in Diſſertat. 1. de locis quibusdam Concilii Nicæni p. 192.* autoritatem Gelaſii, quem diobolarem Rhapſodum vocat, *Theodoreto* minime anteferendam eſſe cenſet, ubi & loca quædam hujus epiſtolæ ſuis obſervationibus illuſtrat. Subjiciuntur his epiſtolis apud *THEODORETUM* nomina diaconorum, quorum aliqui ab aliis Presbyteris annumerantur, qui unà cum Ario excommunicati ſunt. In ipſa vero Epiſtola etiam tres Syriæ Epiſcopi notantur, a quibus Arium adjutum Alexander queritur, intelligens Euſebium Cæſarienſem, Paulinum Tyri, & Theodotum Laodiceæ Epiſcopum, ut ex Arii ad Euſebium Nicomedienſem epiſtola colligit *VALESIUS in Notis ad Theodoret. p. 8.* qui etiam ex Liberii ad Conſtantinum epiſtola ſimilis argumenti literas ad Sylveſtrum Pontificem Romanum ſcriptas fuiſſe probat. *IDEM in Notis ad pag. 19. Theodoreti* probat, ab hac Alexandri Synodo diverſam & temporis ratione poſteriorem fuiſſe eam, quam *SOCRATES lib. 1. c. 6. & GELASIUS lib. 2. c. 2. & 3.* ab eodem Alexandro Alexandriæ coactam commemorant. Epiſtola Synodica hujus poſterioris Concilii à *SOCRATE lib. 1. c. 6.* & *GELASIO* exhibita inſcribitur omnibus Catholicæ Eccleſiæ Comminiſtris; & apud Gelaſium ſubſcripta habet nomina Presbyterorum & Diaconorum Alexandriæ & Mareotidos, qui in Arii damnationem conſenſerant. Excommunicati fuerunt in hoc Concilio præter Clericos Alexandrinos, qui jam in priori Synodo damnati fuerant, Carponas & Gajus una cum duobus Epiſcopis, Secundo, qui Ptolemaidos in Pentapoli Epiſcopus fuit, & Theona, Marmaricæ in Libya Epiſcopo. Et in ipſo Epiſtolii principio notatur quoque Euſebius Nicomedienſis, quem Apoſtatarum patrocinium ſuſcepiſſe Alexander dolet. Tempus, quo duæ hæ Synodi Alexandrinæ congregatæ ſunt, incertum eſt, nec præciſe determinari poteſt. *BARONIUS* duas prædictas epiſtolas ad unum Concilium refert, & ipſum quidem Concil. *A. C. 315.* Alexandriæ habitum, literas autem circulares tertio poſt Con-

Concilium anno, nempe *A. C. 318.* ſcriptas eſſe judicat *T. III. ad an. 315. n. 23. & an. 318. n. 60. 69.* quem ſequitur *BINIUS T. I. Conciliorum p. 237.* Verum neutra Baronii aſſertio ſolidis rationibus probatur. Aliam autem Alexandri epiſtolam ad Sacerdotes Ægypti & Mareotidos, poſt duas illas epiſtolas, ab Alexandro miſſam, eamque à *COTELERIO* editam fuiſſe, indicat *DUPIN. Tom. II. p. 34.* ubi notat in illa epiſtola novos Arii complices ab Alexandro indicari, in quorum numero Presbyter quidam nomine Piſtus, de quo *PETAVIUS in Notis ad Epiphanii Hæreſ. 69. n. 7.* ubi ejusdem Piſti mentio fit, videatur. Eadem hæc videtur Epiſtola cum ea, cujus meminit *LAMBECIUS Tom. III. p. 87.* ubi in margine notat, quod tum temporis nondum edita fuerit.

§. XVI.

At nec Arius cum ſociis partes ſuas tueri ceſſavit. Hinc variæ Legationes ab Ario miſſæ, de quibus *SOZOMENUS lib. I. c. 15.* videatur. Hinc variæ epiſtolæ, qualis eſt epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, apud *THEODORETUM lib. I. c. 5.* & *EPIPHANIUM Hæreſ. 69. n. 6.* it. Arii epiſtola ad Alexandrum apud *EPIPHANIUM Hæreſ. 69. n. 7.* it. *HILARIUM lib. 3. & 4. de Trinitate* & *ATHANASIUM in Tractatu de Synodis p. 884.* ubi & alios notat, qui ante Concilium Nicænum Arianæ impietati conformia ſcripſerunt. Huc ſpectat quoque Epiſtola Euſebii Nicomedienſis ad Paulinum, apud *THEODORETUM lib. 1. cap. 6.* it. Euſebii Cæſarienſis epiſtola ad Alexandrum, ex qua in Actione VI, Concilii Nicæni Secundi *Tom. VII. Conciliorum p. 495. & 496.* nonnulla excerpuntur. Quin & Concilia pro Ario habita, quale fuit, quod Euſebius in Bithynia congregavit, ut refert *SOZOMENUS lib. 1. c. 15.* & Palæſtinum, quod ex Sozomeno deſcribit *BALUZIUS in Nova Collectione Conciliorum p. 23.* Dolendum autem fuit, quod perſecutionum tempeſtate jam ſedata ipſi Chriſtiani linguis tanquam telis inter ſe dimicarint, ut *THEODORETUS lib. 1. c. 6.* queritur; ob quæ disſidia in publicis theatris Chri-

Digitized by Google

ſtianam religionem irriſam deplorat *SOCRATES lib. 1. cap. 6.* & qui ipſe turbarum iſtarum pars non poſtrema fuit, *EUSEBIUS lib. II. de Vita Conſtantini, cap. 61.*

§. XVII.

Conſtantinus vero Imperator turbis iſtis graviter commotus Hoſium Cordubenſem Epiſcopum pacis redintegrandæ cauſa Alexandriam miſit. Non enim à Sylveſtro Papa, ſed ab Imperatore Conſtantino miſſum fuiſſe Hoſium, contra *BARONIUM ad ann. 325. num. 20.* probat *MOLINÆUS in Novitate Papatus, lib. IV. c. 4. p. 327.* & ex ipſis Pontificiis *NATALIS ALEXANDER Diſſert. X. ſec. 4.* ubi ex *EUSEBIO lib. 2. c. 63. de Vita Conſtant. M. SOCRAT. lib. 1. c. 7.* & aliis Scriptoribus Baronium refutat, & frigidis, quos pro tuenda ſua ſententia adducit, ratiunculis reſpondet. Miſit ſimul Imperator per Hoſium literas ad Alexandrum & Arium, in quibus utrumque objurgat, quod tantas turbas excitaſſent. Legitur illa Conſtantini Epiſtola apud *EUSEBIUM lib. II. de Vita Conſtantini c. 64. & ſeq.* & pars ejus apud *SOCRAT. lib. 1. c. 7.* *Peculiari Diſſertatione Argentorati 1663.* hanc Conſtantini epiſtolam illuſtravit ὁ μακαρίτης *BEBELIUS*, qui hanc *epiſtolam irenicam* vocat, cum Syncretiſtæ haud raro ad Conſtantini exemplum provocare ſoleant, qui in hac epiſtola vel ab aliis malè perſvaſus, vel nondum ſufficienter in religione Chriſtiana informatus, frequenter inculcat controverſiam, de qua inter Alexandrum & Arium agebatur, tanti non eſſe, ut ejus gratia pacis vinculum rumpatur. Videantur etiam, quæ de iſta Conſtantini epiſtola notavit *DANNHAVERUS* im Reformirten *Salve p. 171. & ſeqq.* in der abgenöthigten Rettung *pag. 141.* im Wohlverdienten Schul-Recht *pag. 3.* item *Hülſemannus in epiſtola dedicatoria Inſtructionis ſtudioſorum.*

§. XVIII.

Adveniente igitur Alexandriam Hoſio, quod *A. C. 324.* factum eſt, iterum Alexandriæ Synodus coacta eſt, in qua Colluthus Pres-

Presbyter, qui ſe hactenus pro Epiſcopo geſſerat, in ordinem redactus eſt, ut teſtantur *Clerici Mareotici* apud *ATHANASIUM in Apol. II. pag. 794.* Ejusdem Colluthi meminit *Alexander Alexandrinus* in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, ubi Χριςεμπορείαν ſeu nundinationem ex Chriſto illi tribuit, quia ordinationes vendidit, & ex manuum impoſitione quæſtum captavit, ut à *VALESIO* in *Notis* ad *Theodoretum pag. 4.* obſervatum eſt. Et ab hoc Collutho dicti Colluthiani malum pœnæ à Deo proficiſci negantes, de quibus videatur *PHILASTRIUS de Hæreſibus c. 78. AUGUSTINUS de Hæreſ. c. 65. EPIPHANIUS Hæreſ. 69. n. 2. PETAVIUS in Notis ad Epiphanium p. 284. FORBES. Inſtructiones Hiſtorico-Theol. lib. I. cap. ult.* Cum autem Colluthi ordinationes in hac Alexandrina Synodo reſcinderentur, etiam Iſchyras, quem Colluthus Presbyterum ordinaverat, ad ſtatum Laicum reductus eſt, ut teſtantur *Clerici Mareotici* apud *ATHANASIUM Tom. I. pag. 792.* Præterea *SOCRATES lib. III. cap. 7.* refert, in hoc Concilio de vocibus ὐσίας & ὑποςάσεως Hoſium, dum contra Sabellianam hæreſin pugnaret, egiſſe. De quibus vocibus poſt Concilium Nicænum inter ipſos orthodoxos contentio non exigua agitata fuit, dum aliqui, & imprimis Orientales pro tribus hypoſtaſibus, Occidentales autèm pro una hypoſtaſi pugnarent; quorum illi hos Sabellianiſmi, hi illos Arianiſmi arguerunt, ut teſtatur *Nazianzeni Oratio de laudibus Athanaſii pag. 395. 396.* ubi litem illam ab Athanaſio compoſitam fuiſſe memorat, quod circa Annum Chriſti 362. in alio quodam Concilio Alexandrino factum eſt, cujus Epiſtola Synodica videatur. Neque tamen poſt Concilium illud Alexandrinum prorſus illa contentio quievit. Nam per Luciferi Calaritani Schiſma recruduit, unde etiam poſt Concilium Alexandrinum, in quo Athanaſii inprimis opera turbæ illæ quodam modo ſopitæ fuerant, *FAUSTINUS in Libello Fidei*, quem ad Imperatorem Theodoſium miſit, contra eos agit, qui tres in DEo ſubſtanrias dicebant. Et *HIERONYMUS* quoq; tres hypoſtaſes dicere reformidavit, neſcio

quid veneni ſub illa phraſi latere exiſtimans, cum tota ſeculari-um literarum Schola nihil aliud ὑπόςασιν quam ὐσίαν eſſe noverit, qua de re *epiſtola ejus 57. ad Damaſum, in edit. Baſil. p. 59.* videatur. Conferantur, quæ de iſtis vocibus diſſeruit *BASILIUS M. in epiſtola 43. ad Gregorium Nyſſenum fratrem ſuum*, quæ tota de differentia ὐσίας καὶ ὑποςάσεως agit, uti etiam inter opera *GREGORII NYSSENI*, tanquam à Nyſſeno ad fratrem ſuum Petrum ſcripta legitur; item *epiſtola 78.* in qua refutat eos, qui ex Symbolo Nicæno ὐσίαν καὶ ὑπόςασιν unum idemque eſſe probare nitebantur: item in *Epiſtola* 349. ubi de Schiſmate Antiocheno agit; quod ex illa controverſia natum eſt. *AUGUSTINUS lib. V. de Trinit. cap. 8. & 9.* & alii. Ex recentioribus *PETAVIUS lib. IV. de Trinit. cap. 1.* & ſequentibus. *BULLUS in Defenſione Fidei Nicænæ pag. 182.* & ſequentibus. Sed hæc obiter.

§. XIX.

Habebat Hoſius illud quoque in mandatis, ut Eccleſiarum diſſidia circa tempus celebrandi Paſchatos componeret, ut refert *SOZOMENUS lib. 1. cap. 16.* Aliæ enim hoc feſtum ſemper die dominica celebrandum contendebant, aliæ autem Judæorum conſvetudinem ſequendam aſſerebant, quæ controverſia ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo vehementer agitata, neque per Polycarpi cum Aniceto Epiſcopo Romano Colloquium, neque per varia Concilia & excommunicationis fulmen, à Victore Epiſcopo Romano temere vibratum, ſedari potuerat; ut *EUSEBIUS lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. & lib. V. c. 23. 24. & 25.* teſtatur. Haud meliorem ſucceſſum habuit Hoſii legatio. Nam contentiones illæ de Feſto Paſchali non minus ac turbæ per Arium excitatæ pertinaciores erant, quam ut ejus autoritate componi potuiſſent. Unde Hoſium re infecta ad Imperatorem rediiſſe teſtatur *SOZOMENUS lib. 1. c. 17.* cum quo conferri poterunt *EUSEBIUS lib. II. de Vita Conſtantini c. 73. SOCRAT. lib. 1. c. 8.*

§. XX.

Digitized by Google

§. XX.

AUTOR qnidam *GALLICUS*, qui Hiſtoriam Conciliorum Generalium à Concilio Nicæno inchoatam nuper edidit, hoc ipſo anno 1692. juxta Pariſienſe exemplar in Belgio excuſam *pag. 332.* refert, Hoſium, cum Alexandriâ deſcenderet, juxta promiſſionem Alexandro factam, ſtatim ad Sylveſtrum Acta legationis ſuæ retuliſſe. Verum autorem ejus rei, quæ falſâ hypotheſi, quaſi Hoſius Sylveſtri legatus fuerit, innititur, nullum allegare potuit. Eadem pagina refert, quid Hoſius poſt ſuum ab Alexandria reditum Imperatori ſuggeſſerit, & in margine Epiphanium Hæreſ. 69. allegat. At vereor, ne iſta in Epiphanio quæſiturus prolixum illud caput fruſtra perlegat.

§. XXI.

IDEM AUTOR pag. 33. commemorat Epiſtolam Conſtantini M. ad Arium & Arianos ſcriptam, quæ à *GELASIO lib. III. de Actis Concilii Nic. c. 1.* exhibetur. Eandem epiſtolam *p. 150.* Gallico idiomate expreſſam exhibet, & *p. 209.* genuinam eſſe defendit, cum & *SOCRATES lib. 1. c. 9.* & *EPIPHANIUS Hæreſ. 69. n. 9.* ejus mentionem faciant, & ſtylus cum aliis Conſtantini literis conveniat. Quod autem ante Concilium Nicænum ſcripta ſit hæc Epiſtola inde probat, quod ea nec Homouſii, nec Concilii Nicæni mentionem faciat. In eadem ſententia fuit *BARONIUS*, qui hanc Epiſtolam in Vaticana Bibliothecâ repertam, & à Petro Morino latinè redditam, *Annalibus ſuis Tom. III. pag. 192. inſeruit. (edit. Col. ad an. 319. n. 6.)* Verum quod hæc Epiſtola poſt Nicænum Concilium ſcripta fuerit, probat *VALESIUS in Notis ad Socratem pag. 8. & 9.* Inde *PETAVIUS Tom. II. Dogmatum Eccleſ. lib. I. de Trinit. c. VII. pag. 38.* Epiſtolam hanc tam frivolam eſſe cenſet, ut propemodum ab otioſo aliquo conficta & Conſtantini nomine publicata videri poſſit. *IDEM AUTOR GALLICUS pag. 35.* exiſtimat, turbas Arianas per quatuor aut quinque annos ante

Digitized by Google

ante Concilium Nicænum agitatas fuiſſe. Exiſtimat enim, numeros Euſebiani Chronici ſequutus, Alexandrum Alexandrinum, ſub cujus Epiſcopatu Ariana hæreſis emerſit, non ante annum 321. Epiſcopum factum fuiſſe. Verum numeri annorum in *Chronico Euſebiano* rebus geſtis appoſiti, haud raro locum alienum occupant; deinde ipſe Autor *pag. 99.* fatetur, Achillæ Alexandri Anteceſſori, à plerisque Scriptoribus antiquis brevisſimum Epiſcopatus tempus asſignari. Unde ergo probabit, quod per annos octo, nempe ab anno 313. usque ad annum 20. Epiſcopus fuerit? Repugnat etiam huic ſententiæ Hiſtoria de Athanaſio puero, commilitones ſuos baptizante, quod ſub Alexandri Epiſcopatu factum eſſe *RUFINUS lib. I. cap. 14.* & alii tradiderunt. Anno autem 321. Athanaſius non amplius puer fuit, cum an. 326. Epiſcopus factus fuerit. Locus autem *Athanaſii* à Scriptore Gallico *pag. 99.* productus, indicat tantum, quo tempore Arius in Concilio Alexandrino damnatus fuerit, non quo tempore Alexander Epiſcopus factus, neque quando Ariana hæreſis innoteſcere cœperit.

§. XXII.

Poſſet videri, quod etiam in *Concilio Arelatenſi I.* de Arianis actum fuerit. Ita enim Canon. 8. ejus Concilii incipit: *De Arianis, qui propria lege utuntur &c.* Verum etſi hic Canon in nonnullis Conciliorum editionibus, & in *CORPORE CANONICO de Conſecrat. Diſtinct. 4.* & apud *BELLARMINVM lib. II. de Baptiſmo cap. 3.* & apud alios Arianorum nomen ſiſtat, rectius tamen *SIRMVNDVS in Concil. Gallic. T. I. p. 6. & in Not. p. 593. FERD. DE MENDOZA lib. I. de Confirmando Concilio Eliberino c. II. p. 1025.* & plures alii pro Arianorum nomine Afrorum nomen ſubſtituendum cenſuerunt. Et forte corrupta Arianorum lectio in cauſa eſt, quod in antiquis editionibus Concilium hoc A. C. 326. habitum dicatur, quæ aſſertio non minus falſa eſt, quam *Davidis* apud *LAVNOJVM in Tractatu quodam Gallico pag. 25.* aſſerentis, Concilium Arelatenſe pluribus quam viginti annis Nicæno antiquius eſſe, cum tamen

men undecim tantum annis ſit antiquius, habitum quippe Voluſiano & Ariano Conſul. h. e. A. C. 314. quo Ariana Hæreſis, & in primis iteratio Baptiſmi ab Arianis uſurpata, ne Alexandriæ quidem, ne dum in Gallia, innotuiſſe potuit. Id autem admiratione dignum eſt, quod in *Concilio Romano* A. C. 324. de Ario & Arianis nihil actum legitur. Et *BARONIUS* quidem a Sylveſtro & Conſtantino id conſilii initum aſſerit, ut ea res in Concilio Nicæno tractaretur. Verum Romanum hoc Concilium plane fictitium eſſe probant *SCHELSTRATENUS Part. II. Diſſert. 3. c. 8. Antiquit. Illuſtr. PETRUS DE MARCA lib. I. de Concord. Sacerd. & Imperii c. XI. theſ. 4. LAUNOJUS Obſ. 1. ad cap. 1. de Cura Eccleſiæ pro Miſeris & Pauperibus*, it. *Part. 1. epiſt. 9.* ad Claudium Santeulium. *ANTONIUS PAGI A. C. 324. num. 14. & 15. edit. Pariſ. num. 17. & 18. pag. 400. ſeq. Col.*

§. XXIII.

Miſſo igitur Arelatenſi & Romano Concilio, redimus ad Nicænum. Cum enim Oſius graviſſima illa Eccleſiarum & Epiſcoporum disſidia, quæ ſuperius commemoravimus, componere haud potuiſſet, ad Univerſale Concilium, Nicææ habendum omnium provinciarum Epiſcopos invitavit, ipſisque, & eorum comitibus, ut equis & jumentis publicis uterentur, facultatem dedit, ut referunt *EVSEBIVS lib. III. de Vita Conſtant. cap. 6.* & *THEODORETVS lib. I. c. 7.* Convenerunt ad hoc Concilium, ſi *EVTYCHIO in Annalibus Tom. 1. pag. 440.* credimus, Epiſcopi 2048. è quibus tantum 318. veram de Chriſti divinitate ſententiam, à reliquis mirè inter ſe disſidentibus fruſtra impugnatam, defendiſſe ſcribit. At *ATHANASIVS in Epiſtola ad Arianos pag. 718.* in univerſum 318. Epiſcopos huic concilio interfuiſſe tradit, quos *HILARIVS de Synodis pag. 243.* & *AMBROSIVS in Prologo librorum de Fide*, cum 318. Servis Abrahæ, qui Lothum ex hoſtium manu liberarunt, comparant. *SOZOMENVS*, numero rotundo uſus, 320. numerat *lib. 1. cap. 17. MARIVS VICTORI-*

NVS lib. II. adverſus Arianos 315. *SOCRATES lib. I. cap. 8.* trecentos & amplius, *Euſtathius Antiochenus* apud *THEODORETVM lib. I. cap. 8. 270.* *EVSEBIVS lib. III. de Vita Conſtantini cap. 8.* ducentos quinquaginta & amplius in hoc Concilio congregatos memorant. Aliqui 232. Epiſcopos & 86. Sacerdotes ac monachos, qui conjunctim 318. perſonas conſtituunt, ad Concilium Nicænum conveniſſe ajunt. Plura de Diſſenſione Autorum circa numerum Patrum Nicænorum ſuggerunt *BEVEREGIVS in Notis ad Synod. p. 43.* & *SELDENVS in Comment.* ad *EVTYCHII Origines Alexandrinas p. 70. & ſeqq.*

§. XXIV.

Adfuiſſe huic Concilio ex Hiſpania Virum multorum ſermone celebratum ſcribit *EVSEBIVS lib. III. de Vita Conſtant. M. c. VII.* ad Oſium Cordubenſem reſpiciens, quem Concilio Nicæno interfuiſſe certum eſt; non æque certum, quod Sylveſtri Epiſcopi Romani Legatus fuerit. Aſſerit quidem id *GELASIUS lib. 2. de Concilio Nicano c. 5. & 12.* & *PHOTIVS Cod. 88.* Bibliothecæ ſuæ, jam ſuo tempore ſe id in Gelaſio legiſſe teſtatur, ac præterea hanc Gelaſii aſſertionem ſuffragio ſuo comprobat in Epiſtola ad Michaelem Bulgarorum Regem, quæ inter Photii Epiſtolas prima eſt; & in libello de ſeptem Synodis Oecumenicis, qui ex illa epiſtola depromptus eſt, & à *CHRISTOPHORO JVSTELLO* cum *Photii Nomocanone Pariſ. 1615.* Græcè primum editus, in qua editione Oſius perperam Κωδέβρης Ἐπίσκοπος, & juxta Latinam Agylæi verſionem, Codumbres Epiſcopus vocatur. Idem aſſeritur in Epitome Canonum, quam Adrianus Papa Carolo M. Romæ obtulit, apud *CANIS. Tom. VI. Antiqu. Lect. p. 425. & 426.* & ab *AVXILIO lib. 1. de Ordinationibus à Formoſo factis cap. XV.* Verum de iſta legatione tacet *EVSEBIVS.* Dicit quidem Urbis Regiæ Antiſtitem ob ingraveſcentem ætatem Nicæno Concilio tantum per Legatos & Vicarios ſuos interfuiſſe; verum vices Pontificis Romani non Hoſio, ſed qui-

quibusdam Romanis Presbyteris commiſſas indicat. Nec ulla cauſa urget, ut cum *JOHANNE MORINO in Exercit. Eccleſ. de Patriarcharum & Primatum Origine* (cujus operis A. 1626. primum editi, Autorem poſtea pœnituiſſe, in ejusdem vita Antiquitatibus Eccleſiæ Orientalis præmiſſa memoratur) *Exercit. XX. p. 53.* ſtatuamus, in hodierno Euſebii textu fœdam lacunam eſſe, ex Gelaſio Cyziceno ſupplendam; cum *GELASIUS* ex Euſebio ſe iſta hauſiſſe dicat, quæ *lib. 2. cap. 5.* de Oſio Sylveſtri Legato memorat. Veriſimilius eſt, Gelaſium Euſebii verba interpolaſſe, cujus rei indicium eſt, quod verbis Euſebii de Epiſcopo Urbis Regiæ, qui ob ingraveſcentem ætatem Presbyteris nonnullis vices ſuas demandaverit, nomen Metrophanis Conſtantinopolitani Epiſcopi indiderit, à quo Alexandrum cum aliis quibusdam Presbyteris miſſum fingit, cum tamen apud *EVSEBIVM* in loco illo neque Metrophanis, neque Alexandri mentio occurrat. Unde & *NICETAS in Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. V. c. 6.* etſi verba Euſebii de Metrophane interpretatur, quod ex Actis Synodi Nicænæ conſtare ſibi perſvadet, ab Euſebio tamen, quis Senex ille urbis Regiæ Antiſtes fuerit, non expreſſum profitetur. Fallitur autem, quod per urbem Regiam Conſtantinopolin intelligendam eſſe putet, quod etiam à *CASSIODORO in Tripartita lib. 2. cap. 1.* factum eſt, qui tamen non Metrophanem, ſed Alexandrum Urbis illius Epiſcopum hoc tempore fuiſſe ſtatuit. Rectius *THEODORETVS lib. 1. c. 7. Hiſt. Eccleſ.* verba Euſebii de Epiſcopo Vrbis Romanæ intellexit, Conferatur *VALESIVS in Not. ad Euſebium lib. 3. de V. C. c. 7.* ubi ex tempore, quo Conſtantinopolis dedicata & Vrbis Regiæ titulo decorata fuit, argumentum ſumit. Dedicata autem fuit Conſtantinopolis A. C. 330. cum condi cœpiſſet an. 328 juxta *PETAVIUM in Not. ad Julian. p. 346. A. 326.* juxta *CANGIVM in Conſtantinopoli Chriſtiana p. 6.* & A. C. 325. ſtatim poſt Concilium Nicænum juxta *PAGIVM in Crit. Baron. ad ann. 324. n. 16. pag. 82. edit. Pariſ. n. 1. p. 401. Colon. edit.* quo *Baronius* Conſtantinopoleos fundamenta jacta cenſuit.

Digitized by Google

§. XXV.

Perperam igitur *PETRUS DE MARCA lib. V. c. 3. de Concordia Sacerd. & Imperii* Nicætam emunctæ naris virum appellat, qui verba Euſebii de Conſtantinopolitano Epiſcopo explicanda ſubodoratus fuerit. Vnde ulterius infert: Si verba Euſebii de Conſtantinopolitano Epiſcopo interpretemur, ſequitur, vel *Euſebium* inter provincias, e quibus Nicæni Patres collecti ſunt, Italiam & Romam ſilentio prætermiſiſſe, quod abſurdum videtur; vel Euſebii verba mutilata eſſe, & omiſſa, quæ de Oſio tanquam Sylveſtri Legato apud Gelaſium ſupplentur. Nos minime dubitamus, emunctioris fuiſſe naris *THEODORETUM*, qui Euſebii verba de Romano Epiſcopo explicanda duxit, à quo non Oſium, ſed duos Presbyteros ad Nicænam Synodum ablegatos ſcribit *lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 7.* Neque magni momenti eſt argumentum, quod *PETRUS DE MARCA* ex Athanaſii Synodico depromit. Ex eo enim, quod in Athanaſii Synodico apud *SOCRATEM lib. 1. cap. 13.* Oſii nomen Alexandrino, Antiocheno cæteriſque omnibus Epiſcopis præponitur, ſatis firmiter concludi poſſe arbitratur, quod Oſius Epiſcopi Romani Legatus fuerit, cum alia ratio dari non poſſit, cur Oſii nomen primo loco poſitum fuerit. At aliam rationem cur Oſii nomen aliis præponatur, adducit *SANDERUS lib. VII. de Viſibili Monarchia pag. 286.* Addi poteſt, quod Oſius in Controverſia Ariana, quæ in Nicæno Concilio ventilanda erat, exercitatiſſimus, & jam ante ad eam tollendam ab Imperatore Alexandriam miſſus fuerit. Quam rationem adducit *DORSCHEUS de Concil. Nicæno pag. 39.* quo loco ratiunculis pro legatione Oſii à *Baronio* adductis reſpondet. Cum itaque probari non poſſit, Hoſium Sylveſtri Legatum fuiſſe, multo minus probari poterit, quod *HINCMARUS REMENSIS in opuſculo contra HINCMARUM Laudunenſem c. XX. p. 460.* & *GREGORIUS VII. Apologet. cap. 3.* aſſerunt, Hoſium Sylveſtri Pontificis Romani nomine Concilio Nicæno præſediſſe. Si ergo Concilio Nicæno præfuit, à qua ſententia *ATHANASIUS in Apologia ſua ad Conſtantium, & in Epiſtola ad ſolitarios* non alienus eſt, honorem illum à Romano

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopo non accepit. Sane nonnulli veterum Euſtathium Antiochenum & alios Concilii Nicæni Præſides faciunt, quos illam autoritatem ab Epiſcopo Romano habuiſſe nemo dixit. Conferantur, quæ de Controverſia circa Præſidem Concilii Nicæni prolixe diſſerit *LAUNOJUS in Epiſtola ad Raymundum Fermentinum*, quæ eſt *Partis IIX. Epiſt. 1. pag. 693. ſeqq.* adverſus quem nonnulla excipit *NATALIS ALEXANDER Sec. IV. Diſſ. 12.* in qua probare nititur, Oſium cum Vito ſeu Vitone & Vincentio Presbyteris Romanis Sylveſtri nomine Concilio Nicæno præfuiſſe.

§. XXVI.

Presbyteros Romanos, quos ad Concilium Nicænum miſſos diximus, *SOZOMENUS lib. I. cap. 17.* non a Sylveſtro, ſed à Julio miſſos aſſerit. Verum id falſum eſt, ſive Sozomenus memoria lapſus fuerit, cum alibi, nempe *lib. II. cap. 20.* Julium multis poſt Concilium Nicænum annis ad Epiſcopatum perveniſſe innuat; ſive verbis Julii, quæ apud *ATHANASIUM in Apolog. 2.* leguntur, male intellectis deceptus fuerit, quæ *BARONII* eſt ſententia; ſive error ille librariis potius, quam ipſi Autori tribui debeat, & pro Ἰύλιος ὁ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος legendum Πάλαιος ὁ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος, i. e. ſenex Romanorum Epiſcopus, quæ *PERRONII* conjectura fuit, ſive Πόλεως &c. urbis Romanorum Epiſcopus, ut legendum exiſtimat *PETRUS de MARCA libro V. cap. 3. theſ. 8. de Concordia Sacerdotii cum Imperio.* Corrigendi igitur & alii, qui ſub Julii Epiſcopatu Concilium Nicænum habitum aſſerunt, ut *NICEPHORUS lib. IIX. cap. 14. CAMERARIUS in Hiſtoria Synodi Nicænæ pag. 54. LYDIUS de Conciliis pag. 7.* cui ridiculum videtur dicere, quod Concilium Nicænum ſub Sylveſtro habitum fuerit. Non minus corrigendi, qui Nicænum Concilium partim ſub Sylveſtro, partim ſub Julio habitum aſſerunt, ut *PHOTIUS in Epiſtola ad Michaelem Bulgarorum Regem, AUTOR ANTIQUUS à SELDENO in Commentario ad Eutychii origines allegatus pag. 89.* Quibus addi poteſt *PLATINA*, qui dicto-

Digitized by Google

dictorum parum memor, in Vita Sylveſtri ſub Sylveſtro, in Vita Agatonis ſub Julio, Nicænum Concilium celebratum dicit.

§. XXVII.

Byzantinæ Eccleſiæ nomine ad Concilium Nicænum veniſſe Alexandrum omnes conſentiunt. In eo tantum differunt, quod aliqui Alexandrum ut Presbyterum ab Epiſcopo ſuo Metrophane miſſum afferant, ut *GELASIUS lib. II. cap. 5. Autor Actorum Metrophanis & Alexandri* apud *PHOTIUM, cod. 256. pag. 766.* & *ANONYMUS COMBEFISIANUS in Actis Synodi Nicænæ*, & *NICEPHORUS lib. II. cap. 14.* etſi latinus Interpres & h. l. & *lib. IIX. cap. 26.* pro Metrophanis nomine, quod in Græco textu eſt, Alexandri nomen poſuerit. Aliqui vero, inter quos dubio procul etiam latinus Nicephori Interpres fuit, Alexandrum mortuo jam Metrophane, ut Epiſcopum Concilio Nicæno adfuisſe cenſent; cui ſententiæ favet *THEODORETUS*, cum ante Concilium Nicænum epiſtolam ab Alexandro Alexandrino ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum miſſam memorat, *lib. I. cap. 4.* Et in præced. *cap. 3.* aſſerit, Alexandrum eo tempore, quo Arii hæreſis emerſit, Conſtantinopoleos Epiſcopum fuiſſe. A priori ſententia non alienus videtur *DORSCHEUS de Synodo Nicæna pag. 41. & 42.* Eandem ſententiam in gratiam ſui Anonymi defendit *COMBEFISIUS pag. 593.* ubi inter alia notat, pro contraria ſententia Rufinum & Sozomenum à *BINIO in Notis ad Concilia fruſtra* allegari. Pro eadem ſententia pugnat *BALUZIUS*, qui cenſet in epiſtola, quæ apud *THEODORETUM lib. I. cap. 4.* extat, Epiſcopi Conſtantinopolitani titulum nomini Alexandri non ab ipſo Theodoreto, ſed ab aliis additum fuiſſe, & epiſtolam hanc Alexandri Alexandrini potius ad Alexandrum Theſſalonicenſem Epiſcopum directam fuiſſe, qui inter præcipuos Orientis Epiſcopos fuit, & cujus Eccleſia inter Apoſtolicas numerata fuit, cum quibus aliæ Eccleſiæ in gravioribus negotiis communicare tum temporis ſolebant. Verum Baluzii rationes

tam

Digitized by Google

tam ponderoſas non eſſe, ut cogamur in ejus ſententiam concedere, obſervat *AUTOR GALLICUS in Hiſtoria Conciliorum Generalium pag. 203.* ubi inter alia obſervat, quod etſi ante Concilium Nicænum, Byzantium nomine Conſtantinopolis nondum gauderet, *THEODORETUS* tamen ſui temporis ſtylo uſus Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum appellaverit.

§. XXVIII.

Præter Alexandrum Byzantinum interfuit huic Concilio Alexander Alexandrinus, adducto ſecum diacono ſuo Athanaſio, quem in hoc concilio partes ſuas ſtrenue egiſſe teſtatur *CYRILLUS ALEXANDRINUS Epiſt. I. ad Monachos Ægypti, pag. 4. SOCRATES lib. I. cap. 8.* & *SOZOMENUS lib. I. cap. 17.* Nec dubitat *PAPEBROCHIUS in vita Athanaſii cap. 2.* quin hic Athanaſius in Libello Synodico, cujus *SOCRATES lib. I. cap. 13.* meminit, integram Concilii Nicæni hiſtoriam expoſuerit, cujus operis jactura, ipſo judice ſuppleri poſſet, ſi adhuc ſupereſſet *DALMATII liber de Dictis, Factis & Statutis Patrum Concilii Nicæni*, quo in compilanda Concilii Nicæni hiſtoria Gelaſius uſus eſt. Idem Papebrochius ſuſpicatur, hunc Dalmatium cum ſuo Epiſcopo Theona non minus, quam Athanaſius, cum Alexandro ad Concilium Nicænum veniſſe, quod eadem facilitate, qua affirmatur, negari poterit.

§. XXIX.

Leontium Cæſarienſem in Cappadocia Epiſcopum ad Concilium Nicænum abiiſſe, teſtantur *GREGORIUS PRESBYTER in Oratione de Patribus Nicænis, pag. 567.* & hoc antiquior *GREGORIUS NAZIANZENUS* in Oratione de Patre ſuo, qui illo ipſo tempore à gentiliſmo converſus & baptizatus eſt. Atque hinc *BARONIUS ad ann. 325. num. 33. BASILIUM M.* memoria lapſum exiſtimat, qui *in epiſtola 82. circa finem pag. 154.* Her-

Digitized by Google

Hermogenem Leontii ſucceſſorem Concilio Nicæno interfuiſſe dicit. Reſpondet *DORSCHEUS de Synodo Nicæna pag. 40.* Baſilium tantum dicere, quod Hermogenes ab initio Nicænam fidem pronunciaverit, non autem dicere, quod eam Nicææ in Concilio pronunciaverit. Verum regeri poſſit pro Baronio, quod *BASILIUS in epiſt. 319. ad Innocentium* ſcribat, Hermogenem ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ magnam & firmisſimam fidem ſcripſiſſe. Aliter ergo defendit Baſilium *Combefiſius in Notis ad Gregorium Presbyterum*, cum aſſerit, quemadmodum Alexander Athanaſium Diaconum certaminis comitem habuit, eadem ratione Leontii comitem in Synodo Nicæna fuiſſe Hermogenem, tum forte Presbyterum, tanta jam doctrinæ fama conſpicuum, ut ei partes Symboli condendi à Patribus commiſſæ fuerint, quod repetit *COMBEFISIUS in Notis ad Manipulum Originum & Rerum Conſtantinopolitanarum pag. 146.*

§. XXX.

Paulinum Tyri Epiſcopum Concilio Nicæno interfuiſſe, & poſt Concilium Nicænum in locum Euſtathii ab Arianis expulſi Antiocheno Epiſcopatui præfectum fuiſſe, tradit *VALESIUS in Not. ad Euſeb. lib. X. Hiſt. Eccleſ. cap. 1.* At Paulinum Tyri, & poſtea Antiochiæ Epiſcopum, ante Concilium Nicænum obiiſſe, cenſet *GODOFREDUS in Notis ad Philoſtorgii lib. III. c. 15.* & *Montacutius in Notis ad Euſeb. lib. I. contra Marcell. cap. IV. pag. 13.* quorum ſententiam adverſus Valeſium prolixius defendit *HANCKIUS de Scriptoribus Byzantinis pag. 106. & ſequentib.* Probabilius ergo eſt, Tyri nomine ad Concilium Nicænum veniſſe Zenonem, cujus nomen Concilio Nicæno ſubſcriptum reperitur.

§. XXXI.

Interfuerunt præterea Concilio Nicæno Euſtathius Antiochenus, cui *PROCLUS in Synodicis Literis ad Orientales* apud *FACUNDUM HERMIANENSEM lib. IIX. c. 1.* & ipſe *FACUN-*

Digitized by Google

CUNDUS lib. XI. cap. 1. primas in Concilio Nicæno partes deferunt. Euſebius Pamphili, quem *EUTYCHIUS Tom. I. Annal.* intelligere videtur, cum inter Arii fautores Euſebium Urbis Philæ Epiſcopum numerat *pag. 436.* Euſebius Nicomedienſis, qui ab *EUTYCHIO l. c.* Eumenius appellatur: Macarius Hieroſolymitanus & alii, è quorum numero Paphnutium & Spyridonem ſ. Spyridionem commendant *SOCRATES lib. 1. cap. XI. & XII.* & *RUFINUS lib. 1. ſeu. x. cap. 4. & 5.* de Gregorio Armeno, quod filium ſuum Ariſtarcen, vel, ut ab aliis appellatur, Aroſtanem ad Concilium Nicænum miſerit, refertur *in Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana a GALANO edita cap. 3. pag. 41.* Ex provincia Gallorum ſolum Nicaſium Dienſem Epiſcopum Concilio Nicæno interfuiſſe, notant *SAMMARTHANI in Gallia Chriſtiana Tom. II. pag. 554.* Quæ *LUCIUS DEXTER anno 324. pag. 370.* de plurimis Hiſpaniæ Epiſcopis in Concilio Nicæno præſentibus memorat, non minus ſuſpecta ſunt, quam falſum eſt, quod pro Sylveſtro Oſium Concilio Nicæno præfuiſſe ſcribit, quæ aſſertio jam ſupra refutata eſt, & ab ipſo *BIVARIO*, qui in Dextri Chronicon commentatus eſt, refutatur *pag. 376. 377.* ubi & alios Scriptores Hiſpanos allegat, qui Oſium Sylveſtri nomine Concilio Nicæno præfuiſſe negant. Num ex Britannia Epiſcopi aliqui Concilio Nicæno adfuerint, *in Commentario ad Eutychii Origines Alexandrinas p. 117. & ſeq.* diſquirit *SELDENUS.* Qui etiam *p. 125.* exhibet Græce nomina quædam Epiſcoporum, qui ex variis provinciis Concilio Nicæno adfuerunt, ex *Charta Niliaca vetuſtiſſima JOHANNIS SAMBUCI* deſcripta; quas ſubſcriptiones etiam ſuæ Conciliorum Collectioni inſeruit *LABBEUS Tom. 2. pag. 54. & 55.* Rectè autem conjecit *SELDENUS pag. 128.* has ſubſcriptiones ad Concilium Nicænum minus pertinere, & Labbeus repetitione illarum ſubſcriptionum ſuperſedere potuiſſet; ſi recordatus fuiſſet, easdem ſubſcriptiones depromtas eſſe ex *Concilio VI. Generali, ſeu Conſtantinopolitano III.* ut videre licet ex *Tom. VI. Concil. LABB. pag. 1060.* ubi eadem illa nomina iterum leguntur. Idem *SELDENUS pag. 90. & ſequentibus ex Codice Oxonienſi* ſubſcriptiones A-

rabicas ſuppeditat, quas *JOSEPHUS ÆGYPTIUS* ex Actis Concilii Nicæni, qualia ſuo tempore habuit, tranſcripſit. Aliæ Nicæni Concilii Subſcriptiones leguntur in *COLLECTIONIBUS CONCILIORUM ad finem Canonum Concilii Nicæni*, & apud *GELASIUM ſub finem libr. II.* Verum & Arabicæ ſubſcriptiones à Latinis, & Latinæ à Græcis, quas Gelaſius exhibet, multum differunt. In eo autem omnes conveniunt, quod partim mutilatæ & corruptæ, partim interpolatæ videantur. De Theophilo in Gothia Epiſcopo, qui huic Concilio interfuit, vid. *RAYNAUDUS T. IIX. p. 242.* De aliis nonnullis, qui Concilio Nicæno interfuerunt, videantur quæ diſſerit *SANDIUS pag. 168.*

§. XXXII.

De Præſide Concilii Nicæni *BELLARMINUS lib. 1. de Concil. c. 19.* quatuor diverſas ſententias recenſet, primam Brentii pro Conſtantino Imperatore; ſecundam Lutheri *(in lib. de Conlio)* & Magdeburgenſium *(Cent. 4. c. 7. p. 536.)* pro Euſtathio Antiocheno; tertiam Calvini *(l. 4. c. 7.)* pro Athanaſio, quibus omnibus rejectis quartam amplectitur, quæ Oſio, Vitoni & Vincentio, Sylveſtri Papæ Romani Legatis autoritatem illam tribuit. Contra *CHAMIERUS, in Panſtratia Catholica Tom. II. lib. 13. c. 12. theſ. 9. ſeq.* quarta ſententia plane rejecta, tertiam quoque à vero abeſſe, & Calvinum humani quid paſſum agnoſcit; quam Calvini hallucinationem etiam *BALDUINUS in Præfat. ad Optatum perſtringit.* Secundam autem ſententiam veriſimilem, & primam veram eſſe cenſet, quod etiam *DORSCHEUS in Exercitat. de Concil. Nicæno p. 55.* contra Franciſcum Longum à Coriolano & alios pontificios probavit.

§. XXXIII.

Inter argumenta, quibus Bellarminus Brentii ſententiam de Conſtantino Concilii Nicæni Præſide impugnat, & hoc eſt, quod Conſtantinus in Concilio Nicæno ſe Epiſcopis non præ-

Digitized by Google

præpoſitum,ſed ſubjectum agnoverit, cujus rei teſtem allegat Rufinum. Et ſane *RUFINUS lib.1.c.2.* refert, quod Imperator, cum oblatos ab Epiſcopis libellos, quibus ob privatas injurias ſe invicem accuſabant, ſuſcepiſſet, hoc modo eos compellaverit: *nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari. Propterea ſolius Dei inter vos judicium expectate; vos nobis à Deo dati eſtis Dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos &c.* quo dicto libellos iſtos querimoniarum exuri juſſit, ne ſimultates illæ ſacerdotum ulli hominum innoteſcerent. Quæ Conſtantini verba etiam à *GREGORIO M. lib. IV. epiſt. 31.* ut *NICOLAUM I. GREGORIUM VII.* & alios Pontifices Romanos taceamus, allegata ſunt. Et ex eadem Rufini Hiſtoria *JOHANNES GENDRIUS in Tractatu de Epiſcopali judicio p. 50.* contra Jacobum Gothofredum probat, legem Conſtantini M. de Epiſcopali judicio, quæ *poſt librum 16. Codic. Theodoſiani, & in Appendice Codic. Theodoſiani à SIRMONDO* edita *pag. 1.* legitur, non ſuppoſititiam, ſed genuinam eſſe. Verum nonnulla à veritate aliena hic Rufinum commemorare, ſtatuit *BLONDELLUS in Tractatu de Formula regnante Chriſto in veteribus monumentis uſu, pag. 175. ſeq.* ubi inter alia notat, Socratem & Theodoretum illius narrationis puduiſſe, oblationem tot libellorum præſente Imperatore neceſſariam non fuiſſe, nec probabile videri, quod Imperator injuriam paſſorum ſpes omnes in ſupremi ſeculi horam inani prætextu diſtulerit. Euſebium *lib. III. de V. C. cap. 13.* aperte teſtari, quod Conſtantinus inter Epiſcopos litigantes judicaverit. Si Epiſcopi ab homine judicari non poſſint, mirum videri, quod Epiſcopi Imperatori ut Judici libellos obtulerint, niſi quis eos craſſiſſimæ ignorantiæ accuſare velit, quod jura ſua non intellexerint. Conſtantinum deniq; & ante & poſt Concilium ſæpe Epiſcoporum judicem fuiſſe. Sozomenum quidem *lib. 1. c. 17.* & Gelaſium, eandem hiſtoriam Cyzicænum ſed in nonnullis mutatam & caſtigatam, referre &c. Quod autem Blondellus Socratem & Theodoretum hujus narrationis puduiſſe ſcribit, intelligi tantum

Digitized by Google

debet, quoad verba Conſtantini de Epiſcopis,tanquam Diis à nullo homine judicandis. Nam alias de libellis Epiſcopórum Imperatori oblatis, & ejus juſſu exuſtis,mentionem faciunt & *SOCRATES lib.1.cap.8. pag.21.* & *THEODORETUS lib.1.c.XI.* Quod autem libelli illi tantum ab Arianis ſcripti fuerint, conjectura eſt *BARONII ad. ann. 325. num.41.* & *GALLI ANONYMI p. 115.116.* qui id inſuper ex Theodoreto probare nititur.

§. XXXIV.

Aliud argumentum contra eos, qui Conſtantinum Concilii Nicæni Præſid. faciunt,Bell. ex Imperatoris & Epiſcoporum conſeſſu depromit, cum ſedile Conſtantini humilius quam Epiſcoporum fuerit, nec Conſtantinus ante ſederit, quam Epiſcopi annuiſſent. Verum etſi *EUSEBIUS lib.3.c.10.* ſedem Imperatoris parvam fuiſſe dicat, non tamen dicit, quod minor aut humilior fuerit, quam Epiſcoporum;& præterea ex auro fabrefactam & ſummo loco poſitam affirmat. Et quamvis Imperator,quæ magna ejus humanitas fuit, non prius aſſederit, quam Epiſcoporum nutu ad ſedendum invitatus fuiſſet, Epiſcopi tamen non ante ſedere auſi ſunt,quam Imperator ſediſſet. Quod enim *GREGORIUS VII.* Conſtantinum ultimum, & poſt omnes Epiſcopos reſediſſe dicit, eo nomine à *BLONDELLO l.1.p.182.* falſi haud immerito arguitur. Nec in *AMBROSII epiſtola 32,* quæ in editione Romana 14. eſt, & in editione Pariſienſi Benedictinorum noviſſima,num.21. quidquam præſidii Bellarminus invenit. Quod enim Imperator judicandi libertatem Epiſcopis reliquit, non impedit, quo minus Concilio præſidere potuerit.

§. XXXV.

Imperatorem, cum in Concilio aſſediſſet, Epiſcopus à dextro latere proximus, oratiuncula quadam excepit, ut refert *EUSEBIUS de Vita C. M. lib.3. c.11.* Epiſcopum illum fuiſſe Euſebium, exiſtimavit, qui Capitibus Euſebiani hujus operis titulos adje-

adjecit, quod forte ex *SOZOMENO* hauſit, qui *lib. 1. c. 19.* Orationem illam Euſebio tribuit: nec alia eſt ſententia *VALESII in Notis ad hoc caput*, ubi ipſum Euſebium in Proemio librorum de Vita Conſtantini ſe orationis illius Autorem prodere obſervat. Verum illa Oratio, cujus Euſebius in Proemio meminit, forte finito jam Concilio in ipſa Vicennalium ſolennitate dicta eſt. Si *THEODORETUM* audiamus *lib. 1. c. 7.* Euſtathius Antiochenus in Concilio primus peroravit, cui ſententiæ favet *HIERONYMUS*, qui *in Epiſt. 116.* Euſtathium clariſſima tuba bellicum contra Arium cecinisſe ſcribit. *CASSIODORUS* autem in *Tripart. lib. 2. c. 5.* Theodoretum cum Sozomeno conciliaturus Euſtathium primum ac deinde etiam Euſebium Orationibus ſuis Concilium Nicænum auſpicatos aſſerit. Nec defuerunt, qui Alexand. Alexandrino Orationem illam tribuerent, ut ex *NICETA lib. 5. c. 7.* videre licet. *GREGORIUS PRESBYTER* Orationem illam non ſolum Euſtathio Antiocheno tribuit, verum etiam ipſam ejus Oratiunculam exhibet apud *SURIUM d. 10. Jul. p. 162.* Verum Orationem illam ſuppoſitam eſſe, & poſt Nicæni Concilii tempora à quodam elaboratam, non vanis conjecturis, probat *GALLUS ANONYMUS p. 210.*

§. XXXVI.

Euſtathii, vel alterius Epiſcopi, quicunque is fuerit, Orationem excepit Oratio Conſtantini, quæ extat apud *EUSEBIUM de V. C. lib. 3. c. 12.* Longe prolixiorem hanc exhibet *GELASIUS lib. 2. c. 7.* At *THEODORETUS lib. 1. c. 7.* ſummam tantum illius Orationis exponit, & inter alia Conſtantinum Epiſcopos hortatatum aſſerit, ut ex ſacra ſcriptura ſolutionem controverſorum capitum requirerent, cum Evangelici & Apoſtolici libri, & veterum Prophetarum oracula, quid de Deo ſentiendum ſit, apertè nos doceant. Quæ verba etiam in Gelaſiana Conſtantini Oratione occurrunt. Et hæc forte cauſa eſt, quod Baronius hanc Otionem Annalibus ſuis inſerere noluerit, etſi in illa Oratione Conſtantinus ſe jam iſto tempore ſacro baptiſmate initiatum profeſ-

ſus fuerit, quod palato ſuo gratisſimum Baronius agnoſcit. Cæterum quamvis Conſtantini Oratio apud Gelaſium interpolata videatur, verisſima tamen eſt illa Conſtantini de Scriptura Sacra, tanquam ſufficiente Controverſiarum Theologicarum judice, ſententia, quam contra varios Bellarmini, Cani, Andradii & Bulengeri exceptiones vindicat *CHAMIER Tom. 1. lib. 8. cap. 10. theſ. 11. & ſeqq.* Quod autem Bellarminus ex Theodoreto, vel potius Athanaſio, cujus verba à *THEODORETO lib. I. cap. 8.* repetuntur, probare nititur, Arium in Concilio Niceno ex traditione, non ex ſcriptura confutatum eſſe, ad illud reſpondet *CHAMIERUS Tom. I. lib. IX. c. 17. theſ. 3. & ſeq.* Adverſatur præterea ſententiæ Bellarmini conſvetudo, qua ſacræ ſcripturæ in medio Epiſcoporum poni ſolebant, in Epheſino, Chalcedonenſi aliisque Conciliis obſervata; quam etiam in Nicæno neglectam haud fuiſſe, ſtatuit *GALLUS ANONYMUS*, cum *pag. 50. & III.* aſſerit, in medio Patrum Nicænorum fuiſſe magnificum quendam thronum Sacro Evangelio deſtinatum, quod Chriſti locum tenuiſſe, & Patribus pro regula fuiſſe tradit, quam in Concilio ſuis definitionibus ſequerentur.

§. XXXVII.

Poſt Conſtantini Orationem ad ipſas Conſultationes ventum eſt, quas minus accuratas fuiſſe dubio procul cenſuit Sabinus Heracleæ Epiſcopus, Macedonianorum hæreſi addictus; quippe qui *in ſua Collectione Geſtorum Synodalium* apud *SOCRATEM lib. I. c. 8. pag. 22. & cap. 9. pag. 31.* Epiſcopos in Concilio Nicæno congregatos tanquam rudes & illiteratos perſtrinxit. Et *SANDIUS* quidem *in Nucleo Hiſt. Eccleſ. lib. II. p. 166.* ſuſpicatur, Opus illud Sabini ad noſtra usque tempora duraviſſe, cum in Tractatu quodam Argentorati 1578. edito, mentio fiat MSC. Græci, cui titulus: *Sabini Monachi, ut dicitur, Epitome omnium Synodorum Univerſalium & Provincialium.* Et cum *SELDENUS in Notis ad Eutychii Origines Eccleſ. Alexandrinæ* mentionem aliquoties v. g. *p. 68. ſeq.* faciat Scriptoris

Digitized by Google

ptoris vetuſti, qui Collectionem & Expoſitionem omnium, Sanctarum Synodorum ſcripſit, a Ravio ex Oriente in Angliam allati, Sandius conjicit, illam ipſam Collectionem Conciliorum Sabini Heracleenſis opus eſſe à Socrate allegatum: Quod Sandii judicium plane cæcum eſt, cum ſe illam Conciliorum Collectionem, à Ravio in Oriente inventam, nunquam vidiſſe fateatur. Potuiſſet autem ex *SELDENO pag. 89.* cognoſcere, quod Autor ille à Ravio inter Orientis ſpolia in Angliam adductus, Patres Concilii Nicæni pro rudibus & illiteratis minime habuerit.

§. XXXVIII.

Sabino Heracleenſi ſiniſtrum de Epiſcopis Nicænis judicium ferenti *SANDIUS in Nucleo p. 167.* recentiores quoſdam adjungit idem ſentientes. In his primo loco numerat *PETAVIUM,* quem *lib. I. de Trinitate c. VI. n. 5.* Epiſcopos Nicænos rudes & illiteratos vocaſſe arguit. Verum in illo loco altum de Patribus Nicænis eſt ſilentium, & *in c. ſequ. n. V.* plane alia, quam Sandius velit, Petavii ſententia reperitur, & Epiſcopi Nicæni tantum ex Gentilium Philoſophorum ſententia rudes & illiterati dicuntur, ut ex *BAIERI Diſputatione de Concilii Nicæni Autoritate* obſervat *RUELIUS Tom. II. de Conciliis pag. 51.* Petavio Sandius jungit *CALVINUM,* qui *in libro de vera Eccleſiæ Reformatione pag. 480.* Patres Nicænos fanaticos appellat. Neque negari poteſt, iſta ſcripſiſſe Calvinum, qui etiam Symbolum Nicænum battologias arguit, & carmen cantillando magis aptum, quam confeſſionis formulam eſſe dixit, ut refert *EPISCOPIUS in Reſponſione ad Specimen Calumniarum p. 306.* Et *FRANCISCUS BALDUINUS in Epiſtola ad Johannem Lucanium* h. e. Calvinum, præfixa Operibus Optati Milevitani. Verum *GEORGIUS BULLUS in Defenſione Fidei Nicænæ pag. 440.* dicit, horreſcere ſe iſta referentem, & piam juventutem hortatur, ut à Spiritu, à quo talia profecta ſint, ſibi caveat, & addit, carmen iſtud à 300. circiter Epiſcopis & innumeris Presbyteris, in primo Oecumenico Concilio congregatis, cantillatum

eſſe,

eſſe, nec ab ipſo concentu Doctores Catholicos, qui ante Concilium Nicænum vixerunt, diſſonare. Calvino Sandius adjungit *WOLFGANGVM MVSCVLVM*, qui *in locis Communibus*, ubi de Miniſtris verbi agit *pag. 266.* Satanam Patres Concilii Nicæni inſtigaſſe dicit. Verum ibi tantum de illis loquitur, qui in hoc Concilio cælibatum Sacerdotum decernere volebant, quod decretum ne fieret, Paphnutius impedivit, quem dubio procul Spiritus S. inſtinctu reliquis contradixiſſe monet. Muſculum excipit *BEZA* in *Præfat. ad N. T.* Intelligit autem Præfationem ad LudovicumBorbonium, in qua deSynodis veterum loquens etiam optimis temporibus tantam fuiſſeEpiſcoporum ambitionem, futilitatem, ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam improbitatem, ut Satanam eorum artibus præfuiſſe vel cæci perſpiciant. Verum hæc ad Synodum Nicænam applicare Beza auſus non eſt, neq; ſi auſus fuiſſet, probare potuiſſet. Ultimus à Sandio l.c. allegatus eſt *PETRVS MARTYR in Comment. ad 1. Reg. XII. p. 104.* ubi ſcribit, quod Nicæni Patres affectibus ſuis agitati furiarum inſtar in ſe mutuo invecti fuerint, bilique ſuæ tantum indulſerint, ut mirum videatur, Imperatorem eorum intemperiem ferre potuiſſe. Verum etſi Patres Nicænos ab affectibus immunes præſtare non poſſimus, tantum tamen abeſt, ut Conſtantinus de illorum intemperie in Epiſtola ad Eccleſias conqueſtus fuerit, ut potius omnia juſto examine librata & diſcuſſa dicat. Poſſet quidem objici factum, NicolaiMyrenſis Epiſcopi, quemArio blasphemanti alapam inflixiſſe memorat *NAUCLERUS Parte II. Chronographiæ p. 40.* Verum id factum reliquis diſplicuiſſe, ipſe *Nauclerus* indicat, quando eum mitra Epiſcopali ad tempus privatum ex Græcorum traditione ſcribit. Imo potius plane falſa ſunt, quæ de Nicolai culpa & pœna Nauclerus memoravit; neque minus falſa ſunt, quæ de reſtitutione mitræ & pallii per Angelos facta *PETRVS EQVILINVS in Catalogo Sanctorum* retulit. Qua de re videri poterit *MOLANVS lib. 3 de Hiſt. Sacr. Imag. c. 53 p. 371.* Ubi poſteriores Italos picturam Nicolai absque mitra improbare tradit.

§. XXXIX.

Digitized by Google

§. XXXIX.

Calvino aliiſque à Sandio contra Nicæni Concilii Autoritatem allegatis addi poſſet *ANDREAS DVDITHIVS*, qui *in Epiſtola quadam ad Laſicium Tom. I. Oper. SOCIN. p. 513.* Calvini de Symbolo Nicæno judicium approbat, & totum Concilium à ſe nihili fieri ſatis indicat. Nec alia ſententia eſt *EPISCOPII*, qui *lib. IV. Inſtitutionum Theologicarum c. XXXIV. pag. 340.* aſſerere haud veretur, quod Symbolum Nicænum, aliaque in Conciliis Oecumenicis condita, ab Epiſcopis inter ſe magna cum æmulatione contendentibus, ex fervore, ſi non furore, partiumque ſtudio inſano ac maleferiato præcipitata potius, quam ex compoſitis animis profecta videri debeant. In primis vero Concilii Nicæni autoritatem impugnat *AUTOR IRENICI IRENICORUM*, h. e. ut ex *SANDII Bibliotheca Anti-Trinitaria pag. 151.* & aliunde conſtat, *DANIEL ZWICKERUS*, qui *in Defenſione ſui Irenici ſeu in Irenico Maſtige perpetuo convicto & conſtricto pag. 315.* Nicæni Concilii hiſtoriam ita format, ut omnia per vim metumque acta fuiſſe probare contendat; quam hiſtoriam *in Irenico Maſtige iterum victo & conſtricto & planè obmuteſcente pag. 154. & ſequentibus* adverſus Comenii Reſponſiones ulterius confirmare nititur.

§. XL.

Quantum ſpecialiter Arii cauſam attinet, quæ in Concilio Nicæno ante alias ventilata eſt, eum ne auditum quidem eſſe *ZWICKERUS* arguit. Refutari poſſet hæc aſſertio ex Diſputatione Arii & Athanaſii, quæ in Synodo Nicæna habita dicitur, & Athanaſii ſcriptis inſerta legitur. Verum illam Diſputationem Pſeudepigrapham eſſe, nec in Concilio Nicæno habitam, multa indicant. Non deſunt tamen alia argumenta, quæ Arium auditum fuiſſe probant. Arium enim frequenter vocatum & aſſiduo tractatu aſſertiones ejus diſcuſſas fuiſſe, teſtes ſunt *RUFINUS*

Digitized by Google

lib. I. c. 5. & SOZOMENUS lib. I. c. 17. & 19. E quibus Sozomenus Collationes illas Epiſcoporum cum Ario ante ſolennem illum Conſeſſum, cui Imperator præſens adfuit, inſtitutas fuiſſe ſcribit. Quod autem Collationes hujusmodi cum Ario ejusque Aſſeclis etiam poſtea, præſente Conſtantino, iteratæ fuerint, teſtatur, ut alios jam taceamus, *ATHANASIUS* eo in loco, qui etiam apud *THEODORETUM lib. I. c. 8.* legitur. Nec obſtat, quod Patres Nicæni in Epiſtola Synodica apud *SOCRATEM lib. I. cap. 9. pag. 28.* dicant, ſe blasphemias Arii ne audire quidem dignatos; aut, quod *ATHANASIUS Orat. I. contra Arianos*, Patres Nicænos auditis Arii blasphemiis, aures ſuas obturaſſe dicit. Nihil aliud enim his verbis innuitur, quam quod Patres Nicæni poſt ſufficientem Arianorum dogmatum inquiſitionem, blasphemias ex ſuis latibulis protractas Chriſtianis auribus indignas cenſuerint, qua de re pluribus agit *BAIERUS in Diſſertat. Zwickero & Sandio oppoſita, de Concilii Nicæni Autoritate & Integritate theſ. 64. 65.* Nec majoris momenti ſunt reliqua Zvvickeri argumenta examinata à Baiero *theſ. 66.* & ſequentibus.

§. XLI.

GALLUS ANONYMUS, cum *pag. 56.* ex Julii Epiſtola ad Orientales, quam *ATHANASIUS Apologia ſua ſecunda* inſeruit, obſervaſſet, prælecta fuiſſe in Concilio Nicæno Acta Concilii Alexandrini, quod Paulo ante ab Oſio coactum fuerat, etiam Arii dogmata ex variis ejus Scriptis publice prælecta fuiſſe notat, & Patres quidem Nicænos, cum ea audirent, aures primum obturaſſe, poſtea tamen, cum primus animi æſtus, quem in poteſtate ſua non habuerint, deferbuiſſet, lectionem Scriptorum Arii continuandam cenſuiſſe, & Ario ejusque Aſſeclis libertatem ſua dogmata defendendi permiſiſſe, eoque facto Euſebium Nicomedienſem, Arii Patronum, prætendiſſe, ſacras ſcripturas in hac controverſia unicè conſulendas, nec traditionum incertarum & dubiarum rationem aliquam habendam eſſe. Epiſcopos autem orthodo-

xos

xos reſpondiſſe, ſcripturam ſacram eſſe quidem regulam fidei, non minus tamen certum eſſe, quod traditio Apoſtolica ſit alterum religionis fundamentum, hæreticorum morem omni tempore fuiſſe, quod ad ſcripturam provocaverint, cum tamen ſenſus Scripturæ absque traditionis Apoſtolicæ ſubſidio penetrari non poſſit, ideoque Concilium in dijudicanda controverſia Ariana duplicem illam regulam ſcripturæ & traditionis ſequi oportere. Allegat hujus rei teſtem Sozomenum *lib. 1. cap. 17.* Verum qui Sozomenum evolverit, Galli hujus Anonymi temeritatem mirabitur, qui quæ in cerebro ſuo finxit, Sozomeno affingere auſus eſt. Quamobrem miſſis illis figmentis ad Acta Concilii Nicæni redeamus.

§. XLII.

Oblatam ab Arianis Fidei Formulam Orthodoxi cum legiſſent, diſcerpſerunt, ut teſtatur *THEODORETUS lib. I. c. 7.* Formulam illam Fidei ab Euſebio compoſitam fuiſſe, & ejus blasphemiam certo argumento indicaſſe, teſtatur *Euſtathius Antiochenus* apud eundem *THEODORETUM cap. IIX.* Et *VALESIUS* quidem *ad h. l.* Autorem illius libelli facit Euſebium Pamphili Cæſarienſem Epiſcopum. Neque ſane negari poteſt, Euſebium Pamphili Symbolum aliquod in Concilio Nicæno compoſuiſſe, quod in ejusdem epiſtola ad Cæſarienſes apud *THEODORETUM lib. I. c. 12.* & *SOCRATEM lib. 1. c. 8. p. 23. ſq.* extat. Verum Euſebius in ea epiſtola Symbolum ſuum à Patribus Nicænis & Imperatore Conſtantino approbatum refert, neque etiam ejusmodi blasphemiæ Symbolo illo continentur, ut diſcerpi à Patribus meruerit. Quamvis igitur Euſtathius, ut *SOCRATES lib. 1. cap. 23.* retulit, Euſebium Cæſarienſem perſtrinxerit, quod Nicænam Fidem adulteraret, quo argumento Valeſius pugnat, eo tamen in loco, quem Theodoretus allegavit, Euſtathius non de Cæſarienſi, ſed de Nicomedienſi Euſebio loqui videtur.

Digitized by Google

§. XLIII.

Symbolum, quod Apoſtolicum vulgo appellatur, à Nicænis Patribus compoſitum fuiſſe, Laurentius Valla ab inquiſitore hæreticæ pravitatis, quid deSymbolo Apoſtol. ſentiret, rogatus, reſpondere non dubitavit, multis rationibus id probaturus, niſi inquiſitor non probandi, ſed abnegandi & revocandi jam tempus eſſe regesſiſſet, ut ipſe Valla in *Calumnia Theologica ſibi intentata pag. antepenultima* teſtatur. Et *ERASMVS* in *Apologia ad 24. libros Alberti Pii Carporum Comitis*, quæ *T. IX. operum Eraſmi legitur, p. 958.* aſſerit, *VALLAM* in *Antidoto ad Nicolaum V.* probabilibus argumentis docuiſſe, quod Symbolum Apoſtolicum in Concilio Nicæno editum fuerit. Verum ſi Valla putavit Symbolum, quod Apoſtolicum vulgo appellatur, totidem verbis in Concilio Nicæno editum fuiſſe, ſententia ejus probabilis non eſt. Multo minus probanda eſt *SANDII* ſententia, qui longius progreſſus Symbolum Apoſtolicum in Nicæno Concilio ab Arianis, quemadmodum Nicænum ab Homouſianis, in eodem Concilio compoſitum fuiſſe, *in Nucleo ſuo p. 167. aſſerit*, quæ aſſertio confirmari non poteſt per ea, quæ *p. 52. & 53.* de Apoſtolico Symbolo produxit, refutata à *BEBELIO Antiquit. Secul. IV. Part. I. Artic. 4. theſ. 46. pag. 879.* & *theſ. 48. p. 881.* cui nonnulla addit *TENZELIVS in Exercit. ſelectis Part. I. pag. 12.* qui etiam *pag. 13.* varias ſcriptorum de autore Symboli Nicæni ſententias ita inter ſe conciliat, quod Euſebius, quem Græci, teſte Trapezuntio, Symboli Nicæni autorem faciunt, prima hujus Symboli fundamenta locaverit; Oſius, quem Ariani apud Athanaſium in Epiſtola ad Solitar. Nicænam fidem edidiſſe aſſerunt, complementum addiderit; Hermogenes autem, quem Baſilius M. Epiſtola 319. Symboli Nicæni autorem facere videtur, Symbolum ab Oſio conceptum literis conſignaverit.

§. XLIV.

Verba Nicæni Symboli ex arcani diſciplina proferre non auſus eſt *SOZOMENVS*, ut ipſe profitetur *lib. I. cap. 20.* Verum ea arcani religio, ſeu ſuperſtitio, alios non tenuit. Referunt enim Symbolum à Nicænis Patribus conditum *EVSEBIVS* in Epiſtola

ad

ad Cæſarienſes apud *THEODORETUM lib. 1. c. 12.* & *SOCRATEM lib. 1. cap. 8. pag. 25.* & ipſe *SOCRATES eodem capite paulo ante Euſebii epiſtolam pag. 22. HILARIUS de Synodis pag. 242. PATRES CONCILII EPHESINI artic. VI. pag. 671. BASILIUS epiſt. 78. ATHANASIUS in Epiſtola de Fide ad Jovianum. LEO M. in Epiſtola ad Leonem Auguſtum*, quæ eſt in vulgatis editionibus 97. in Queſneliana 134. *PATRES CONCILII CHALCEDONENSIS Act. 2.* Ut *EPIPHANIUM in Ancorato cap. 120. RUFINUM lib. I. cap. 6.* & alios taceamus. Quid ſtatuendum ſit de obſervatione *BARONII ad ann. 325. num. 2. 3.* ex Athanaſio notantis, quod Symbolum Nicænum ſine diei & Conſulum nota editum fuerit, exponit *DORSCHEUS in Exercit. de Concil. Nicæno p. 74.* qui etiam *p. 76.* & ſequentibus variantes quasdam hujus Symboli lectiones obſervat. Symbolum autem quod in libris noſtris Symbolicis, & paſſim alias Nicænum dici ſolet, non tam Nicænum, quam Nicæno-Conſtantinopolitanum eſt, qua de re apud *VOSSIUM Differt. III. de Symbol. theſ. 3. & ſequentibus* plura videantur. Videantur præterea de Symbolo Nicæno *BEBELIUS ſec. IV. Artic. 4. pag. 881.* & in *Synopſi Poſthuma hiſtoriæ & doctrinæ Symbolorum pag. 6. ſeq. LUPUS in Differt. de Symbolis Apoſt. & Nicæno*, quæ præmittitur *Scholiis in Canones Nicænos*. Schlichtingio aliiſque Antitrinitariis, qui Patres Nicænos myſterium Trinitatis hoc Symbolo profiteri negant, reſpondet *CALOVIUS in Confeſſione Martyrum & aliorum fidelium theſ. 114.* Fidem Nicænam ſerius in Gallia innotuiſſe, vid. *HILARIUS pag. 89.*

§. XLV.

In *Actis Concilii Epheſini* alia quædam Fidei Confeſſio legitur, quæ in Græco textu *editionis Commeliniana pag. 138.* Nicænis Patribus, in latina autem verſione *pag. 387.* Antiochenis tribuitur. Unde *BARONIUS ad A. C. 272. Tom. II. Annal. pag. 595. Colon. vero 666. num. 16.* quem etiam nonnulli noſtratium ſequuntur, iſtam Fidei Profeſſionem in Concilio Antiocheno adverſus Pauli Samo-

ſateni blaſphemias conditam, & ab Euſebio in Arianorum gratiam ſuppreſſam ſuſpicantur. *LE MOYNE pag. 257.* ſimiliter Antiocheno Concilio Symbolum illud tribuit. Verum cum in illa fidei Profeſſione filius Dei Patri ſecundum Deitatem, & hominibus ſecundum carnem homouſius dicatur, Antiocheni vero Patres ab Homouſii vocabulo, ob Pauli Samoſateni cavillationes, abſtinendum cenſuerint, ut *HILARIVS de Synodis p. 243. ATHANASIUS de Synodis pag. 917.* & *BASILIUS epiſt. 300.* teſtati ſunt, Nicæno Concilio magis conforme illud Symbolum deprehenditur, ex eo, fortaſſe tamen in aliquo poſt Nicænum Concilium conditum, cum ex Autoribus theſi 44. allegatis conſtet, aliud Symbolum à Patribus Nicænis compoſitum fuiſſe, in quo nihil magis Arianos offendit, quam vox homouſui, qua Patres Nicæni omnes Arianorum argutias elidendas cenſuerunt.

§. XLVI.

Quales illæ Arianorum argutiæ fuerint, quibus homouſii vocem orthodoxi oppoſuerint, exponit *ATHANASIUS in Epiſtola ad Afros*, quem locum etiam exſcribit *THEODORETUS lib. I. c. 8.* De eadem voce diſſerit *ATHANASIUS in Tractatu de Decretis Synodi Nicænæ Tom. I. pag. 267. & ſeqq. item in Tractatu de Synodis Arim. & Seleucienſi pag. 908. HILARIUS de Synod. pag. 241. & ſequentibus. VICTORINVS AFER lib. I. & II. contra Arianos. FVLGENTIVS in Reſponſione contra Arianos p. 63.* Ubi inter alia miratur, quod Ariani ſe Triuſianos non appellent, cum Orthodoxos homouſianos appellare non vereantur. *AVTOR libri pro Fide Catholica adverſus Pintam Fulgentio tributi, cap. II.* ubi vocem homouſius derivat ab homus i. e. unus, & uſia i. e. ſubſtantia, quam etymologiam ex Concilio Toletano XI. depromptam eſſe ſuſpicatur *LABBEVS Tom. 1. pag. 335.* Quomodo Patres Nicæni hanc vocem explicaverint, exponit *EVSEBIVS in Epiſtola ad Cæſarienſes.* Quæ autem in fine hujus Epiſtolæ, prout apud *THEODORETVM lib. 1. cap. 12.* legitur, Imperatorem Conſtantinum

de

Digitized by Google

de æterna filii generatione diſſeruiſſe ſcribit, à *SOCRATE in Epiſtola Euſebii* omiſſa ſunt, nec ſine cenſura dimiſſa à *VALESIO in Notis ad Theodoret. p. 12.* Quomodo ipſi Ariani vocem homouſii, tanquam gladium, quo ipſorum hæreſis jugulari poſſet, ſubminiſtraverint, refertur ab *AMBROSIO lib. III. de Fide, cap. 15.* ubi & plura de iſta voce diſſerit, in quibus nonnulla ſunt, quæ taxant *PETAVIUS de Trinitate, lib. IV. cap. 2. num. 13. & DALLÆUS lib. II. cap. 3.*

§. XLVII.

In Lutherum, quod ſe homouſii vocem odiſſe dixerit, graviter invehitur *POSSEVINUS Bibliotheca ſua lib. IIX. c. 4. p. 387.* cujus aliorumque Pontificiorum calumniis reſpondet *GERHARDUS, Confeſſ. Cathol. Tom. II. pag. 499.* qui etiam de voce hac agit in *Loco de Natura Dei* §. *33.* & *in Exegeſi Loci de Myſterio Trinitatis theſ. 50. ſeqq.* Quod autem *Lutherus in libro de Conciliis Tom. VII. Jen. Germanico pag. 243.* refert, *Hieronymum* ad Epiſcopum Romanum de abolenda homouſii voce ſcripſiſſe, & quod aliquid veneni ſub iſta voce lateat, cenſuiſſe, memoriæ lapſus eſt, nec fraudulentum mendacium ex homouſii odio profectum, quod ipſi à *BELLARMINO in Præfat. librorum de Chriſto* exprobratur. Quod *PROCOPIUS* Hiſtoricus Athanaſium non obſcure φιλονεικίας & pertinaciæ inſimulet, & in univerſum Nicænæ Synodi Diſputationes περὶ τῦ ὁμοουσίυ derideat, aſſerit *CHEMNITIUS in libro de Deo cap. 3.* Verum quod *Procopius* Nicæni Concilii & ὁμοουσίυ alicubi mentionem faciat, non recordor. Illud tamen certum eſt, quod omnes controverſias Theologicas *PROCOPIUS*, ut inſanas deriſerit, quod apparet ex *lib. 1. de Rebus Gothicis cap. 3.* Eraſmi judicium ſcribentis ſe, ſi Concilio Nicæno interfuiſſet, ſvaſurum fuiſſe, ut potius aboleretur memoria homouſii, quam tantæ turbæ concitarentur, notavit idem *CHEMNITIUS l. c.* & *CATHARINUS* apud *Raynaudum in in Apopompæo p. 106.* Certum etiam eſt, quod *ERASMUS* de Arii ob

unam

unam voculam damnatione, ex poſtulaverit,& ſcribere auſus fuerit, oportuiſſe de homouſio & homoiuſio utrinque ſilentium indici,ne ob unicam literulam tanti motus concitarentur. Extat hujusmodi Eraſmi locus in *Reſponſione ad annotationes novas Edoardi Lei Tom. IX. oper. pag. 227.* Inter veteres,qui ante Concilium Nicænum homouſii mentionem fecerunt, *CARPZOVIUS in Iſag. ad libros Symbolicos pag. 60.* refert Athenagoram B. Ignatii in Cathedra Antiochena Succeſſorem; quod ſphalma aliunde in poſthumum doctisſimi Viri opus irrepſit, cum neque Athenagoras Ignatii ſucceſſor fuerit, nec homouſii, quod ſciam, mentionem faciat. Quo reſpectu *ORIGENES in Comment. ad c. 37.* Jobi negaverit, dari Deo aliquid ὁμοούσιον, explicat *le MOYNE in Not. ad Varia Sacra pag. 251.* Neque tamen Origenes negavit, Filium Dei Patri ὁμοούσιον, ut ex Rufino & Pamphilo probat *BULLUS pag. 50.* qui & *ſequenti pag.* notat, Chriſtianum Scriptorem illum perantiquum, qui ab Apoſtolorum ævo remotus non fuit, & ſub Trismegiſti nomine Pymandri librum edidit, expreſſe aſſerere, quod λόγος ſit Patri ὁμοούσιος; ut cætera, quæ ab hoc autore toto *Sectionis 2. cap. 1, pag. 43. & ſequentibus* de hac voce referuntur, taceamus. Vocem homouſii in nonnullis fidei Confesſionibus etiam Orthodoxos & Arianis infenſisſimos citra hæreſeos ſuſpicionem omiſiſſe, notarunt *SCHELSTRAT. in Vindiciis Concilii Antiocheni pag. 103. 108.* Conferatur præterea de voce Homouſii *SVICERUS Tom. 2. theſ. Eccleſ. p. 480. CVRCELLÆVS in Diſſ. de Vocibus Trinitatis &c. Theſ. 70. & ſeq.* ubi contra Mareſium defendere nititur, quæ in Præfatione, Operibus Epiſcopii præfixa, de Vocibus Trinitatis Eſſentiæ, Perſonæ, ὁμουσίας & ſimilibus diſſeruerat. Ea enim *MARESIUS* in peculiari Diſſertatione de Vocibus Trinitatis & ſimilibus, quæ ejusdem Tractatui de Johanna Papiſſa reſtituta ſubjuncta legitur, impugnavit, qui etiam poſtea hanc Diſſertationem vindicavit. Adverſus ea, quæ *Sandius & Zwickerus* contra vocem ὁμουσίας proferunt, reſpondet *BAIERUS in Diſſertatione de Concilii Nicæni autoritate theſ. 72. ſeq.* Agit etiam de voce Homo-

uſi-

Digitized by Google

uſii *NATALIS ALEXANDER Diſſertat. 14. & 15. ſecul. 4.* ut alios taceamus.

§. XLIIX.

In fine Symboli Nicæni anathema dicitur illis, qui de Filio Dei dicerent, *erat aliquando tempus, cum non eſſet; & antequam gigneretur, non erat; & ex nihilo factus eſt.* Hoc enim præcipuum Arii & Arianorum dogma fuit, quod filium Dei Patri co æternum & conſubſtantialem negarent, eumque ἐξ ὐκ ὄντων, ſeu ex nihilo creatum aſſirmarent; unde etiam Exucontii dicti ſunt ab *ATHANASIO de Synod. pag. 907. AUTOR* vero *Chronici Alexandrini* Arianos Exocionitas vocat. Refert enim Imperatorem Theodoſium templa Catholicis reddiſſe, & Exocionitas expuliſſe. Etſi enim in *RADERI editione p.704.* legatur, quod Theodoſius expulerit τὺς λεγομένυς Ἀριθμὺς Ἐξωκιωνίτας i. e. juxta Raderi verſionem, dictos numeros Exocionitas, recte tamen *CANGIUS* in noviſſima hujus Chronici editione pro ἀριθμὺς legit Ἀρειανὺς. Et mirum eſt, Raderum non recordatum, quod Autor Chronici Alexandrini, etiam alibi Arianorum Exocionitarum meminerit, nempe in rebus Leonis, p. 747. quem Arianitas Exocionitas graviter perſecutum ſcribit; & iterum anno XI. Zenonis, ubi Attalaricus, Theodorici ſucceſſor, de hæreſi Ariana, vel Exocionites fuiſſe dicitur, quo loco *RADERUS in margine p. 757.* notat, quod forte legendum henoticonita, i. e. religionis conciliatæ autor; quod à veritate plane alienum eſt. Dicti enim ſunt Ariani Exocionitæ ab Exocionio, ſeu loco quodam Urbis Conſtantinopolitanæ, ubi Ariani urbe expulſi conventus ſuos egere. Meminit Exocionitarum etiam *THEOPHANES in Chronographia p.150.* ubi de Juſtiniano refert, quod Orthodoxis Eccleſias ſuas reddiderit, præterquam eas, quæ Arianorum Exocionitarum fuerunt, *pag. 421.* ubi mentio fit Nicolai Exocionitæ, ſeu Hexocionitæ, ut ibi legitur. *CEDRENUS pag. 368.* quo loco pro Exocionitis Exucontios legi cupit *SUICERUS in Theſauro Eccleſ. Tom. I. pag. 1152.*

Digitized by Google

Verum iſta emendatione nihil opus eſt. Multo minus locum habet ſimilis Sviceri emendatio apud *THEODORETUM lib. IV. cap. 3.* Expreſſe enim ibi Theodoretus Exocionitas à loco ſic dictos memorat, quod de Exucontiorum nomine dici nequit. Neque melior eſt viri cujusdam doctisſimi conjectura, qui apud Cedrenum & alios pro Exocionitis Eſocionitas legit, & nomen hoc de Monachis, qui in columnis ſedes ſuas fixerunt, interpretatur, quem errorem notavit *CANGIUS in Cpli Chriſtiana lib. 2. p. 172.* qui etiam de Exocionitis agit in Gloſſario Mediæ & Infimæ Græcitatis p. 412. & in Notis ad Chronicon Alexandrinum pag. 568. Videatur etiam *JACOBUS GOAR in Notis ad Theophanem p. 589.* & *ALEMANNUS in Notis ad Procopii Ἀνέκδοτα ſeu Hiſtoriam Arcanam p. 130.* ubi ſcribit, exocionitas fuiſſe nobilisſimos Arianos, in quorum Collegium Italici Gothorum Reges adſcribi conſveverint.

§. XLIX.

Notantur porro in anathemate Symboli Nicæni, qui Filium Dei ex altera hypoſtaſi, vel eſſentia eſſe dicunt, in quibus verbis non hypoſtaſin per eſſentiam declarari, ſed potius ab eſſentia diſtingvi ſtatuit *BASILIUS M. epiſt. 78.* Contra *PETAVIUS lib. IV. de Trinitate c. 1. p. 314.* Baſilii ſententiam erroris arguit. At Bullus in defenſione Fidei Nicænæ Baſilio potius quam Petavio credendum arbitratur p. 185. Interim illud certum eſt, quod Arius ejusque aſſeclæ filium diverſæ eſſe à Patre ſubſtantiæ docuerint. Unde etiam Ariani à *DAMASCENO* Diatomitæ appellantur, quia nempe juxta *VINCENTIUM LIRINENSEM in Commonitorio pag. 305.* Arius Trinitatis Unitatem diſcindere auſus eſt. Quod vero in fine Symboli Nicæni iis etiam anathema dicitur, qui filium Dei converſioni & mutationi obnoxium affirmant, itidem Arianos ferit, quos ita docuiſſe refert *ALEXANDER* in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, & in altera epiſtola ad Eccleſiam Catholicam directa. Non perpetua tamen hæc fuit eorum ſententia, contrarium enim ſe aſſerere, videri voluit *Arius* ipſe in Epiſtola

Digitized by Google

piſtola ad Alexandrum, & in alia ad Euſebium, præter quas de Arii doctrina, qualis ea fuerit, conſuli poſſunt, quæ ex Arii Thalia excerpſit *ATHANASIUS in Orat. 2. contra Arianos pag. 310.* & *de Synodis pag. 883.* quibus in locis Arius profitetur, Deum non ſemper fuiſſe Patrem, ſed ab eo tantum tempore, quo Filium condidit, ut per eum mundum conderet; Deum non habere Filium propriæ ſubſtantiæ, ſed tantum Filium adoptaſſe; & ab eo neque Patris neque ſuam ipſius ſubſtantiam cognoſci, aliaque his ſimilia.

§. L.

Non ſolum autem Filium Dei diverſæ à Patre naturæ, & improprie tantum Deum Arius affirmavit, ſed Spiritus S. quoque cum Patre ὁμουσίαν negavit. Quamvis enim *NAZIANZENUS* Epiſt. 2. ad Cledorium p. 746. & *BASILIUS M.* in Epiſt. 78. pag. 138. in Concilio Nicæno quæſtionem de Spiritus ſ. divinitate non ventilitatam fuiſſe ſcribant, dubitari tamen non poteſt, quin Arius etiam Spiritus ſ. divinitatem inficiatus fuerit, quod ipſe *Arius* in epiſtola ad Alexandrum ſatis innuit. Clarius id aſſerit *AUGUSTINUS*, qui *de Hæreſ. c. 49.* memorat, quod Arius Spiritum ſ. creaturam creaturæ dixerit. Idem affirmat *PROSPER in Chronico pag. 40. edit. Labb. LEO MAGNUS Serm. 4. in Nativitatem Domini cap. 5.* & alii, quorum nomina *CALOVIUS Tom. 3. Syſt. pag. 771.* & *SANDIUS pag. 146. ſui Nuclei* adducunt.

§. LI.

Cum autem Arius perſonarum in Trinitate inæqualitatem introduxerit, & non minus Spiritum Sanctum Filio, quam Filium Patre inferiorem docuerit, ad inſinuandam iſtam perſonarum inæqualitatem, novam poſtea doxologiæ Eccleſiaſticæ Formulam introduxit, & Patrem per Filium in Spiritu ſ. glorificandum docuit, ut teſtatur *THEODORETUS lib. IV. de Hæret. Fab. c. 1.* Etſi autem formula illa, ſi rectè explicetur, heterodoxi nihil contineat,

Digitized by Google

& *LEO* quoque *M. in Sermone I. de Nativitate Domini* Auditores ſuos hortatus fuerit, ut Patri per Filium in Spiritu ſ. gratias agerent, *BASILIUS* tamen *M.* cum aliquando in Sermone ad populum tali doxologia uſus eſſet, varia judicia incurrit, ideoque peculiari Apologia ſe ab hæreſeos ſuſpicione liberare compulſus eſt; ut ex ejus *Proœmio ad librum de Sp. ſ.* Amphilochio dicatum obſervat *BONA Rerum Liturgic, lib. 2. c. 3. theſ. 2. pag. 325.* Quod autem idem *BONA in Tractatu de Divina Pſalmodia cap. XVI. ſect. 6. pag. 337.* poſt *BARONIUM ad A. C. 325. num. 173. ſeqq.* & alios ſtatuit, Nicænos Patres decreviſſe, ut ad doxologiam: *Gloria Patri, Filio & Spiritui ſ.* adderentur verba: *ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen,* id ex capitulo 3. Concilii Vaſenſis ſeu Vaſionenſis probari non poteſt. Tantum enim Patres illius Concilii ſanciunt, ut clauſula illa per Africam, Italiam & totum Orientem uſitata, etiam in Gallia recipiatur. A quibus autem, & quando primum introducta fuerit, non addunt. Celebratum dicitur hoc Concilium Vaſenſe I. ſub Julii I Pontificatu, non multis poſt Concilium Nicænum annis. Verum *SIRMONDUS* primum Vaſionenſe Concilium ſub Leone M. anno C. 442. habitum fuiſſe, & Canonem de clauſula, glorificationi addenda, ad Concilium Vaſenſe II. A. 529. celebratum pertinere ſtatuit. Illud autem, quod ſub Julio celebratum dicitur, cum tribus ſuis Canonibus ſuppoſititium eſſe cenſet *p. 597. Tom. I. de Concil. Eccleſ. Gall.* diſſentit a Sirmondo *NATALIS ALEXANDER ſec. IV. c. 4. Artic. 5. pag. 305. ſeqq.* & tamen primum & ſecundum Canonem ad illud Concilium non pertinere agnoſcit. Cæterum clauſulam doxologiæ: *ſicut erat in principio &c.* jam ante Concilium Nicænum doxologiæ additam fuiſſe, & ad illam *TERTULLIANUM in Tractatu de Spectaculis cap. XXV.* alluſiſſe, nonnulli ſtatuunt apud *BONAM de Rebus Liturgicis pag. 326.* Quæ *SANDIUS in Epiſt. 2. ad Gardinerum pag. 146. & 157.* de Doxologia Eccleſiaſtica in Arianorum gratiam profert, ad ea reſpondet *GARDINERUS in Reſponſione Valedictoria ad Sandium p. 56. & 66.*

§. LII.

§. LII.

Quamvis autem doxologiæ formulam Arius mutaverit, Baptiſmi tamen formulam non mutavit, ut *THEODORETUS l. c.* aſſerit. Cum igitur *ATHANASIUS Orat. 3. contra Arianos* eos in Creatorem & creaturam baptizaſſe dicit, aut cum *HIERONYMUS in Dialogo adverſus Lucifer.* Arianos in Patre, ſolo vero Deo, & in Jeſu Chriſto Salvatore, creatura, & in Sp. ſ. utriusque ſervo, baptizaſſe dicit, id tantum volunt dicere, quod etſi Ariani nomen Patris, Filii & Sp. ſ. in baptiſmo adhibeant, tantundem tamen fit, ac ſi in nomine creaturæ baptizent; cum formula ab illis uſurpata non tam ex ipſis verbis, quam ex perverſo illorum ſenſu judicari debeat, ut notavit *VOSS. Diſſ. de Baptiſmo 44.* & *Diſp. 20. pag. 244.* Eo autem veſaniæ ſucceſſu temporis Ariani proceſſerunt, ut à Catholicis baptizatos iterum baptizarent, teſte *AVGUSTINO hæreſ. 49.* Quorſum etiam ſpectat hiſtoria de Rege Genſerico & Sebaſtiano apud *VICTOREM UTICENSEM* ſeu *VITENSEM, Vandal. Perſec. lib. I. pag. 7.* Quod autem *ZWINGERUS in Theatro vitæ humanæ p. 1319.* ſcribit, Arianos docuiſſe, quod ſufficiat in nomine Filii baptizari, unde hauſerit neſcio. Nam quod *SANDIUS pag. 139.* Arianos tantum in nomine Filii baptizaſſe ſcribit, idque liquere ait ex Corpore Canonico de conſecratione, *diſt. 4.* can. *ſi res vera*, it. can. *multum*, falſum deprehenditur, ſiquidem illi Canones ex Pelagii ad Gaudentium epiſtola deprompti, Arianorum nullam mentionem faciunt.

§. LIII.

Docuiſſe præterea Arium, quod Filius Dei corpus tantum humanum, non item animam aſſumſerit, autor eſt *THEODORETUS, lib. IV. de Hæret. Fabul. c. 1.* Idem aſſerunt *EPIPHANIUS* & *DAMASCENUS Hæreſ. 69.* & *MANUEL* Calecas *in Tractatu de principiis Fidei Catholicæ c. V. p. 244.* ut *Athanaſium, Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum, Cyrillum Alexandrinum* & alios taceamus. *MARIUS* vero *MERCATOR in Refut. 12. anathematiſmi Neſtorii p. 129.*

Digitized by Google

non ipſum Arium ſed Arii ſectatores hunc Apollinis errorem foviſſe memorat. Et *Auguſtinus*, etſi ſe non meminiſſe dicat, quod ob illam controverſiam Arianis lis aliqua mota fuerit, ex ſcriptis tamen illorum & Colloquiis hanc eorum ſententiam fuiſſe comperit. Cur Magiſtro error diſcipulorum à multis tributus fuerit, indicat *GARNERIUS in Opera Mercat. Tom. II. p. 299.*

§. LIV.

Sunt & alia, quæ Ario & Arianis tribui ſolent. *VINCENTIUS* enim *LIRINENSIS in Commonit. c. XIX. p. 336.* hunc proprium Arianorum errorem fuiſſe dicit, quod in conjunctione divinæ & humanæ naturæ alterum in alterum mutatum fuerit. Eosdem docuiſſe, quod ipſa λόγȣ natura poſt unionem cum humana natura paſſionibus obnoxia fueit, ex *Phœbadio*, *Athanaſio* & *Hilario* probat *PEARSON in Explicatione Symboli Apoſtolici pag. 334.* Quod Ariani Chriſtum non colendum vel adorandum eſſe docuerint, ac in eo homouſianis ac Trinitariis deteriores fuerint, aſſerit *SOCINUS in Reſponſione ad libellum Jacobi Wujeki cap. IX. pag. 619.* contra quam Socini aſſertionem *SANDIUS in Nucleo pag. 149.* multa congerit. *BONAVENTURA MALVASIA in Catalogo Hæreticorum pag. 51.* inter varios Arianorum errores & illum refert, quod conſveverint non Jeſum Chriſtum, ſed Chriſtum duntaxat pronunciare. Autorem ejus rei allegat *NICEPHORUM lib. IX. cap. 13.* quo loco Nicephorus ex *SOCRATIS lib. II. cap. 21.* refert, nonnullos Euſebium Pamphili propterea Ariani ſmi inſimulaſſe, quod in ſuis Scriptis dicere ſoleret *per Chriſtum.* Verum ex eo colligi non poteſt, quod Ariani nomen Jeſu pronunciare detrectaverint, vel ſaltem, quæ *JOHANNIS Langi in Scholiis ad Nicephorum* eſt ſuſpicio, nomen Chriſti ſimpliciter ſine honoris præfatione pronunciaverint. Sed illud potius in Arianis nonnullos reprehendiſſe innuitur, quod in doxologia non Patri & Filio, ſed Patri per Filium gloriam dicerent. Quod cum etiam Euſebius in Sermonibus ſuis fecerit, in Arianiſmi ſuſpicionem incidit, ut *VALESIUS in Annotationibus ad Socra-*

Digitized by Google

cratem p. 26. obſervavit, Epiſtolam ad Hebræos ab Arianis rejectam, & à Paulinis epiſtolis avulſam fuiſſe, quod Apoſtolicæ Theologiæ ſplendorem ferre non poſſent, aſſerit *THEODORETUS in proœmio ſui in hanc epiſtolam Commentarii.* Platonicam animarum præexiſtentiam ab Ario aſſertam fuiſſe, ex Caleca notat *SANDIUS in Tractatu de Origine Animarum*, in quo eundem errorem defendere ſatagit *pag. 140.* Idem *pag. 145.* perſtringit Hornium, quod in Hiſtoria Eccleſ. *art. 3. theſ. 3. p. 175.* hoc præcipuum Arianæ hæreſeos caput eſſe dixerit, Chriſtum eſſe Deum, ſed in Trinitate alium eſſe Patrem à Filio, & Sp. Sanctum à Patre & Filio, cum tamen ipſi orthodoxi in Trinitate alium atque alium dari agnoſcant. Verum ſi reliqua Hornii verba addamus, quod Arianis orthodoxam ſententiam non tribuerit, facile apparebit. Minus defendi poteſt *SIXTUS SENENSIS, qui lib. VI. Bibl. S. Annot. 92.* hoc Arii dogma fuiſſe dicit, quod Filium Dei ingenitum Deum de ingenito Deo dixerit. Arius enim ſolum Patrem ingenitum Deum profitebatur, & orthodoxos arguebat, quaſi duo ingenita principia ſtatuerent, ut ex Arii ad Alexandrum Epiſtola, & Epiſtola Euſebii Nicomedienſis ad Paulinum conſtat. Verum hæc de Arii doctrina dixiſſe ſufficiat, de qua, præter ipſius Arii epiſtolas & fragmenta, conferri poſſunt *Alexander* in Epiſtolis Synodicis, & qui contra Arianos ſcripſerunt, *ATHANASIUS in Orationibus contra Arianos. HILARIUS in lib. de Trinitate* & aliis ſcriptis adverſus Arianos editis. *AMBROSIUS in libris de Fide,* quibus Gratianum Imperatorem, cum in orientem abiturus eſſet, adverſus Arianam peſtem velut antidoto quodam munire voluit, & *in Commentariis ad Evangelium Lucæ,* in quibus Arianos toties impugnat, ut *BENEDICTINI*, qui Ambroſiii opera nuperrime ediderunt, eum hanc potiſſimum ob cauſam Evangelium Lucæ interpretari voluiſſe cenſeant. *AUGUSTINUS in Scriptis contra Maximinum & Felicianum, Oratione adverſus 5. hæreſes, & Tractatu contra Sermonem Arianorum. VIGILIUS TAPSENSIS* in Dialogis contra Arianos, & aliis ſcriptis Arianis; *FULGENTIUS in Reſponſionibus ad Objectionem Arianorum*

rum

rum, *& libris ad Traſimundum.* *VICTORINVS*, *PHÆBADIVS*, *FAVSTINVS* & alii in libris contra Arianos editis, ut *PHILASTRIVM hæreſ. 66.* & alios Hæreticarum fabularum ſcriptores, nec non *SVLPITIVM SEVERVM lib. II. c. 49. pag. 415.* & plures hiſtoricos alioſque varii generis Scriptores taceamus.

§. LV.

In Concilio Nicæno ille tantum Arii error, qui in Symboli Nicæni anathemate notatur, cæteris nondum cognitis, nec ad examen inquiſitionis revocatis, damnatus fuit. Cui damnationi etiam Arii fautores, paucisſimis exceptis, ſubſcripſerunt, quod ex neceſſitate & metu potius, quam ex animi ſententia factum eſſe, docent *RUFINUS lib. I. c. 5. THEODORET. lib. 1. cap. 7. SULPITIUS SEVERUS lib. II. cap. 50. pag. 23. ſeq.* Conferantur etiam *SOCRATES lib. I. cap. 8. & c. 14. pag. 44. SOZOMENUS lib. I. cap. 20. 21.* qui Scriptores tamen inter ſe de numero eorum, qui Ario conſtanter adhæſerunt, non conſentiunt. Tutisſimum autem erit, ſequi ſententiam ipſorum Patrum Nicænorum, qui in *Epiſtola* ſua *Synodica* unà cum Ario Theonam Marmaricæ & Secundum Ptolemaidos Epiſcopos damnatos referunt. Conferantur *VALESIUS in Notis ad Sozomenum pag. 404. DORSCHEUS de Concil. Nicæno pag. 33. & ſeq. GODOFREDUS ad Philoſtorgium lib. I. cap. 8. & 9. PAGI A. 325. num. 19. edit. Pariſ. num. 26. Col. num. 21. ſeq. edit. Pariſ. 28. & 29. edit. Col.* ubi etiam probat, Euſebium & Theognidem ſive Theognium non in ipſo Concilio, ſed poſt Nicænum Concilium in alio quodam Epiſcoporum conventu depoſitos, & in exilium ab Imperatore miſſos fuiſſe. Idem ex Valeſio exponit, qua ratione Euſebius & Theognis juxta *SOZOMENUM lib. II. cap. 16.* Fidei quidem Nicænæ, non autem anathematiſmo ſubſcripſerint. Quæ de ſubſcriptione Fidei Nicænæ à duobus mortuis facta, fabulantur *GREGORIUS PRESBYTER pag. 580. NICEPHORUS lib. IIX. cap. 23.* & alii, prolixa refutatione minus indigent. Ipſum quoque Arium, cum tandem ſimula-

Digitized by Google

mulata pœnitentia Fidei Nicænæ ſubſcripſiſſet, à Synodo Nicæna ſuſceptum fuiſſe, ex Hieronymi Dialogo adverſus Luciferianos ſtatuit *BARONIUS*, cujus ſententiam refutat *VALESIUS in Notis ad SOZOMENUM, lib. II.cap.16. pag.108.* qui etiam *p.109.* de Arii ab exilio revocatione agit, de qua juxta *HARDUINUM in Diſſert. de Baptiſmo pag.76.77. HIERONYMUS* quoque *in Chronico* agit, cum ad an.23. Conſtantini notat, quod Porphyrius, miſſo ad Conſtantinum inſigni volumine, ab exilio liberatus fuerit, quo loco *BARONIUS* de Porphyrio gentili philoſopho ſermonem haberi primum exiſtimavit, *A. C. 325. n. 89. ſeq. pag. 282. edit. Col.pag. 338.ſeq.* poſtea vero in Addendis ad *Tom. XII. p. 668.* de Optatiano Porphyrio, cujus Panegyricum *VELSERUS*, & ante Velſerum *PITHOEUS* publicavit, quam ſententiam etiam *SCALIGER in Animadv. ad Euſebium p.250.* & alii ſequuntur. Harduino autem, qui ſub Porphyrii nomine Arium intelligit, favet edictum Conſtantini, quo non ſolum Arii ſcripta flammis aboleri, ſed etiam Arianos à Porphyrio, qui ſcriptis adverſus Religionem Chriſtianam libris inclaruit, Porphyrianos appellari voluit, quod edictum legitur apud *SOCRATEM lib. 1. c.9. p.32.*

§. LVI.

Turpiſſimum Arii perjurium, & fœdiſſimum mortis genus, deſcribunt *ATHANASIUS Orat. I. contra Arianos p.301. & in Epiſtola ad Serapionem pag.670. FAUSTINUS & MARCELLUS in Libellis Precum pag. 4.5.6. SOCRATES lib. I. cap.37.38. THEODORETUS lib.I. cap. 14. RUFINUS lib. I. cap. 13.* Eo autem in loco, ubi Arius abominandam mortem ſubiit, ejus ſtatua ab Imperatore Theodoſio una cum Macedonio, Sabellio & Eunomio humili marmori inſculpta fuit, ut prætereuntium ſputis, urina & ſtercore deturparentur, ut refert *CODINUS de Originibus Conſtantinopolitanis pag.22.* quem locum ex *Anonymi* Collectaneis περὶ θεαμάτων ſupplet *LAMBECIUS in Notis ad Codinum pag. 163.* Conferatur etiam *CANGIUS Conſtantinopoli Chriſtiana pag.99.*

Digitized by Google

Contra etiam Ariani imagines Metrophanis, Alexandri, ad cujus preces Arius talem vitæ exitum nactus dicitur, & Pauli Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, Conſtantini M. juſſu, tabulis ligneis inciſas & in foro poſitas igni tradiderunt, ut refert *INCERTUS AUTOR in Demonſtrationibus Chronographicis*, ſeu *Originibus Conſtantinopolitanis*, *à LAMBECIO* & *COMBEFISIO* editis, *p. 87. edit. Lambecianæ*, & *pag. 5. edit. Combefiſianæ*. Sub Conſtantii imperio contigiſſe Arii mortem, putavit *ZONARAS lib. XIII. Annal. ſect. XI. pag. 23.* & ante ipſum *RUFINUS lib. 1. c. 13.* nec alii Autores deſunt, qui Arium Conſtantii imperium attigiſſe ſcribunt. *VIGILIUS TAPSENSIS Dialogo contra Arianos lib. 1. c. 2. PAULUS OROSIUS lib. VII. cap. 29.* Cum vero *ATHANASIUS*, *FAUSTINUS*, *SOCRATES*, *SOZOMENUS* & alii famoſum illius Hæreſiarcham ſub Conſtantino M. periiſſe dicant, videntur illi, qui Arium ſub Conſtantio vixiſſe ſcribunt, alterum Arium cum Sectæ hujus anteſignano confudiſſe. Duo enim Arii, eadem hæreſi infecti eodem tempore vixerunt, ut ex *SULPITIO*, *SEVERO*, *l. c. c. 49. EPIPHAINIO*, aliisque conſtat. Conf. *CHIFLETIUS in Notis ad Vigilium pag. 137. CAMERARIUS* autem *in Hiſtoria Synodi Nicænæ*, Epiphanii ductu, Arium Hæreſiarcham jam ante Nicænam Synodum obiiſſe, quamvis timide aſſerit *pag. 40.* Verum ex *Epiſtola Synodica Concilii Nicæni* probare id non poteſt, quia ibi per finem Arii non mors, ſed exilium intelligitur, ut ſequentia verba docent, quibus Arius in exilii ſui ſocietatem Secundum & Theonam rapuiſſe dicitur. Eundem hæreſiarcham, fœdo mortis genere extinctum, paulo ante mortem, ab Hieroſolymitana Synodo ſuſceptum fuiſſe, vulgo ſtatuitur. Verum *VALESIUS* id alteri potius Ario competere probat *in Notis ad Socratem pag. 16.* & *in Annot. ad Sozomenum pag. 113.* it. *lib. 2. Obſervationum*, qui agit de Paulo Conſtantinopolitano c. 2. pag. 183. Incertiſſima eſſe, quæ de morte Arii referuntur, aſſerit *ZWICKERUS in Finali Confutatione Comenii pag. 182.* Verum is non magis audiendus, quam *SOCINUS*, qui *in Reſponſione ad libellum Wujeki* aſſerit, ſi vera

ſunt,

ſunt, quæ de Arii morte vulgo referuntur, dicendum eſſe, quod Arius non tam ob dogmatis impietatem, quam ob perjurium & fraudem in juramento commiſſam, bonæque cauſæ deſertionem tam fœda morte perierit. Audiendi potius Sancti Patres, qui Arii blaſphemias ſingulari Dei judicio punitas agnoſcunt, ut *GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. 21. de laudibus Athanaſii pag. 380.* & *AMBROSIUS lib. I. de Fide, cap. XIX. pag. 468. &c.*

§. LVII.

Convenerunt Patres Nicæni etiam ad lites, quæ de Paſchatis celebrandi tempore ortæ fuerant, ſopiendas. Decreverunt igitur in omnibus Eccleſiis, uno eodemque die feſtum hoc celebrandum, ut patet ex *Epiſtola Synodica* apud *SOCRAT. lib. 1. cap. 9.* & ex *Epiſtola Conſtantini ad Eccleſias* apud *SOCRAT. l. c. THEODORETUM lib. 1. cap. 10.* & *EUSEBIUM lib. III. de Vita Conſtantini cap. XVII. XIIX. XIX. & XX.* Dies autem illa, qua Paſcha in omnibus Eccleſiis celebrari debebat, erat Dominica. Hac enim Romanæ & plures aliæ Eccleſiæ, in Conſtantini epiſtola memoratæ, Paſcha hactenus celebrare conſueverant; ut ex hiſtoria ſchiſmatis, quod eandem ob controverſiam, labente ſecundo ſeculo, natum fuerat, apparet apud *EUSEBIUM Hiſt. Eccleſ. lib. V. cap. 23.* & hunc morem nunc etiam Eccleſiæ in Syria & reliquæ ſequi debebant, quæ hactenus luna 14. menſis Paſchalis, in quamcunque diem hebdomadis illa incidiſſet, hoc feſtum egerant. Perperam igitur in viri cujusdam doctiſſimi libello poſthumo legitur, decretum in Concilio Nicæno fuiſſe (p. 11.) quod Paſcha non die 14. ſed 15. celebrari debeat. Qui autem, non obſtantibus Concilii Nicæni decretis, Paſcha cum Judæis celebrandum ſtatuerunt, Teſſarakarſidecatitæ ſeu Quatuordecimani appellati ſunt, de quibus *EPIPHANIUS Hæreſ. 50. THEODORETUS lib. 3. Hæret. fab. c. 4.* & alii videantur.

Digitized by Google

§. LIIX.

Ut autem una eademque Dominica in omnibus Eccleſiis Paſcha celebrari poſſet, id negotii à Patribus Nicænis Alexandrino Epiſcopo datum dicitur, ut ſingulis annis Dominicam, qua Paſchæ celebrari conveniret, Romano Epiſcopo indicaret, à Romano Epiſcopo reliquis Eccleſiis intimandam. Quod decretum à Sanctis Patribus ſtatutum aſſerit *LEO M. in Epiſtola ad Marcianum quæ eſt 64.* vel juxta *QUESNELLI. editionem 94.* Quod autem Nicæni Patres hoc ſtatutum fecerint, à Leone expreſſum non eſt. Clarius ad Synodum Nicænam reſpicere videtur *CYRILLUS ALEXANDRINUS in Prologo Cycli Annorum 95.* apud *BUCHERIUM pag. 481.* Cum Sanctorum totius Orbis Synodi conſenſione id decretum fuiſſe pronunciat. Mirum tamen eſt, Patres Nicænos in Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam nullam ejus rei mentionem facere. Haud magis certum eſt, quod Patres Nicæni Enneadecateridem, ſeu cyclum novendecim annorum conſtituerint, cujus ope tempus celebrandi paſchatis inveſtigari poſſet, quod aſſerere videtur *AMBROSIUS in Epiſtola ad Epiſcopos Æmiliæ*, quæ eſt numero 83. & in noviſſima editione 23. Idem aſſerit *DIONYSIUS EXIGUUS in Epiſt. I. Paſchali*, in qua Patres Nicænos hunc circulum non tam peritia ſingulari, quam Sp S. illuſtratione ſanxiſſe ſcribit. Verum Dionyſium falli cenſet *BUCHERIUS in Commentario ad Victorii Canonem Paſchalem cap. 3. pag. 94. & ſeq.* & *ELLIES DU PIN* in *Bibliotheca Eccleſiaſtica Tom. II. p. 316.* Ambroſii verba ita interpretatur, quaſi id tantum dicere voluerit, quod decretum Synodi Nicænæ occaſionem dederit ejusmodi cyclum uſurpandi. *BENEDICTINI* autem *in Notis ad prædictam Ambroſii Epiſtolam* arbitrantur, Patres Nicænos mentionem quidem circuli decemnovennalis feciſſe, ſed tamen ejus uſum non tam accurate explicaſſe, quin magnæ difficultates relictæ fuerint. Conferantur quæ de Contentionibus circa Paſchæ tempus poſt Concilium Nicænum inter Orientis & Occidentis Eccle-

Digitized by Google

cleſias exortis diſſerit *HENRICUS DE NORIS in Diſſertatione de Cyclo Paſchali* Ravennate, haud ita pridem Florentiæ edito, *& Lipſiæ 1996. recuſo.*

§. LIX.

Actum fuerat de Paſchali hac controverſia etiam in Concilio Arelatenſ. A. 314. & definitum, uno tempore, & quidem die Dominica, hoc Feſtum celebrandum eſſe. Quæ autem *SCHELSTRATENUS ad Canonem I. Concilii Antiocheni,* quo decretum Concilii Nicæni confirmatum fuit, p. 159. annotavit, nempe Patres Concilii Arelatenſis, cum Orientalibus Eccleſiis aliquid mandandi poteſtatem non habuerint, Sylveſtrum Papam rogaſſe, ut autoritatem ſuam interponerat, & Sylveſtrum autoritate ſua uſum id dubio procul feciſſe, mera commenta ſunt. Neque enim Sylveſtrum latere poterat, quam infeliciter illa præſumptio in eadem controverſia Victori Papæ cesſiſſet. Neque per Schelſtrateni aſſertionem Romani Papæ autoritas multum lucratur. Additur enim Syros & alios cum Sylveſtri mandatum accepiſſent, adhuc in illa cauſa claudicaſſe, donec in Nicæno Concilio res iſta componeretur. Cum autem Arelatenſis & Nicæni Concilii tempore de hac controverſia actum fuerit, facile credi poteſt *EPIPHANIO, cum hæreſ. 70.* Alexandri Alexandrini tempore litem de paſchate motam fuiſſe ait; nec ulla ſufficiens ratio eſt, cur cum *PETAVIO in Notis ad Epiphanium,* & *AUTORE ECLOGARUM CHRONOLOGICARUM lib. 3. c. 2.* de eo dubitemus, ut à *SELDENO* obſervatum in *Notis ad Eutych. Orig. pag. 175. & 176.* Quod autem Decretum Patrum Nicænorum de Paſchatis feſto *ZWICKERUS in Irenico Irenic. pag. 116.* impugnat, quaſi Apoſtolicæ Ordinationi adverſum fuerit, pro qua ſententia adducit *BOVIUM in Scholiis ad Conſtit. Apoſtolicas lib. V. cap. 18. pag. 145.* refutatur à *BAIERO in Diſſert. de Concilii Nicæni integritate. theſ. 96. ſeq.* Diſceptationes Patrum Nicænorum de Paſchatis Feſto per Oraculum quoddam Anglicum finitas, fingit *HIPPOLYTUS THEBANUS in*

Chronico Græco-Lat. quod edidit *CANISIUS Tom. III. Antiqu. Lectionis pag.* 44.

§. LX.

De Meletio ſ. Militio & Meletianis quid in Concilio Nicæno definitum fuerit, exponunt Patres Nicæni in *Epiſtola Synodica* apud *THEODORETUM lib.* 1. *cap.* 9. & *SOCRATES lib.* 1. *cap.* 9. ad quem locum *VALESII Notæ* videantur. Quid cum Aceſio Novatianorum Epiſcopo egerit Conſtantinus, recenſent *SOCRATES lib.* 1. *cap.* 10. *SOZOMENUS lib.* 1. *cap.* 22. Relata ſibi hæc dicit Socrates ab homine grandævo, qui Nicæno Concilio interfuit, intelligit autem Auxanonem Novatianorum Presbyterum, quem cum Aceſio ad Concilium Nicænum veniſſe dicit *lib.* 1, *cap.* 13. Verum *VALESIO* tota hac narratio ſuſpecta eſt, ob rationes quas adducit *in Annotat. ad Socrat. pag.* 9. Qui Photinum in Concilio Nicæno damnatum ajunt, ut *PRATEOLUS in Narratione Conciliorum pag.* 247. *Tom. II. Chronici Chronicorum Eccleſiaſtici exhibita* eos temporum ratio fugit, cum Photini hæreſis Concilii Nicæni tempore nondum innotuerit. Hauſiſſe autem Prateolus hanc ſententiam videtur *ex Epilogo*, ut vocatur, ſeu *Excerptis Geſtorum Synodalium S. Sylveſtri*, quæ præfixa ſunt Actis Romani Concilii II. ſub Sylveſtro habiti. Nam & ibi Photinus cum Sabellio & Ario damnatus in Concilio Nicæno dicitur, unde Romanum illud Concilium ſuppoſitionis arguit *SCHELSTRATENUS Antiquit. Illuſtr. pag.* 486. Argumentum quo Donatiſtas in Concilio Nicæno damnatos probat *RIVIUS in Vita Auguſtini lib. II. c.* 4. *p.* 3. *pag.* 201. parum ponderis habet, ſiquidem Concilium plenarium, quo iterationem baptiſmi repudiatam toties inculcat Auguſtinus, non fuit Nicænum ſed Arelatenſe, ut alibi probatum. Neque Concilii Nicæni tempore Ariani, quod alterum Rivii argumentum eſt baptizatos à Catholicis iterum baptizare auſi ſunt. Quæ de Philoſophorum Gentilium in Concilio

lio Nicæno præſentia, & cum Epiſcopis conflictu, à *GELASIO lib. 2. cap. 13. ſeq.* prolixe referuntur, pro figmentis habent *ELLIES DU PIN pag. 315. CAVE in Hiſtoria Litteraria pag. 367.* Occaſionem prolixas illas Epiſcoporum cum philoſophis diſputationes fingendi dedit *RUFINI* narratio, quam *primo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ libro cap. III.* de philoſopho quodam, ſimplicis cujusdem Confeſſoris compellatione ad Chriſti fidem converſo, contexit. Similia referunt *SOCRATES lib. 1. c. 8. pag. 20.* & *SOZOM. lib. 1. cap. 18.* qui etiam Conſtantinopoli os alicujus gentilis philoſophi ab Alexandro Conſtantinopolitano obturatum memorat.

§. LXI.

De Canonibus Concilii Nicæni etiam dicendum. Et *JOSEPHUS* quidem *ÆGYPTIUS* tres Canonum libros à Nicænis Patribus compoſitos puta vit, cujus ſententia *in Notis ſuis ad Synod. pag. 210.* perſtringit *BEVEREGIUS*, qui tantum unum ex his libris edere voluit cum Canones reliquis libris contentos ſpurios eſſe manifeſtum eſſet. Octaginta Canones Nicænos ex Arabica lingua in Latinam verſos publicarunt *ALPHONSUS PISANUS* & *FRANCISCUS TURRIANUS*, quibus quatuor in ſua verſione addit *ABRAHAM ECCHELLENSIS*, qui & plures alias Conſtitutiones, tanquam à Patribus Nicænis definitas, adjungit. Conferatur *ALPHONSI PISANI Hiſtoria Concilii Nicæni*, qui etſi in editione Dillingenſi anni 1572. ſeptuaginta tantum Canones numeret, alioque ordine diſponat, quam in Arabicis codicibus locantur, in ſequenti tamen editione, quam *DOMINICUS NICOLINUS* & *SEVERINUS BINIUS in Conciliorum Tomis* ſequuti ſunt, 80. Canones juxta Arabicum Exemplar diſpoſitos exhibet, quod etiam facit *TURRIANUS*, cujus verſione & recognitione Canones illos exhibet *NICOLINUS Tom. 1. Concil. p. 573. BINIUS Tom. 1. p. 350. LABBEUS Tom. 2. pag. 287.* qui etiam *pag. 318.* Canones 84. ex Abraham Ecche-

Digitized by Google

Ecchellenſis verſione, legentium oculis ſubjicit. Verum Canones illos ex Arabico in Latinum ſermonem verſos ſuppoſititios eſſe, probant *GODALDVS Hiſt. Eccleſ. A.325, pag. 553. Tom. 1. EDMVNDVS RICHERIUS Hiſt. Concil. Gener. lib. 1. c. 2. theſ. 22. SCHELSTRATENVS Antiquit. Illuſtr. pag. 283.* ubi ſimul eorum ſententiam ſibi diſplicere animadvertit, qui Jacobo Niſibitano ſ. Niſibenſi illam Arabicorum Canonum Collectionem tribuunt, qua de re videri etiam poterit *TENZELIVS in Diſſertat. de Jacobo Niſibenſi Part. I. Exercit. ſelect. pag. 246.*

§. LXII.

Non plures enim quam viginti Canones in Concilio Nicæno conditos fuiſſe, teſtantur *THEODORETUS Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. GELASIUS lib. 2. cap. 31. HINCMARUS REMENSIS in Epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem* & alii. Nec plures exhibent verſiones antiquæ *DIONYSII EXIGUI* & aliorum, quas inter non tacenda verſio *THEILONIS & THEARISTI,* quæ ſubjuncta eſt *Capitulis Concilii Carthaginenſis 6. Tom. 2. Concil. pag. 1594.* Ex cujus & Africani Concilii Hiſtoria patet, neque Cæcilianum Carthaginenſem, qui Concilio Nicæno interfuerat, plures quam 20. in Africam attuliſſe, neque Cyrillum Alexandrinum & Atticum Conſtantinopolitanum plures in Africam miſiſſe. Et quamvis *RVFINVS lib. 1. cap. 6.* viginti duos recenſeat, diverſitas tamen illa ex eo tantum oritur, quod & ſextum & octavum Canonem in duos diviſerit. Cur in Codice veteri Canonum Romanæ Eccleſiæ, quem *in Appendice ad Opera Leonis M. QUESNELIUS* edidit, Canon 20. omiſſus deprehendatur, inquirit prædictus *QVESNELIVS in Diſſert. 12. ad Opera Leonis cap. 5.*

§. LXIII.

Ex Canone 3. Cælibatum Sacerdotum, à Nicænis Patribus ſancitum, Pontificii nonnulli probare nituntur. Verum Paph-

nuti-

Digitized by Google

nutium obſtitiſſe, ne tale Decretum à Nicænis Patribus fieret, teſtantur *SOCRATES lib. 1. cap. 11. SOZOM. lib. 1. c. 23.* quorum autoritatem à *Bellarmino* & *Baronio ad ann. 325. num. 148. ſeq.* fruſtra convelli, demonſtrat *CALIXTUS de Conjugio Clericorum pag. 238. & ſeqq.* cum quo conferri poſſunt, quæ *FERDINANDUS DE MENDOZA lib. 2. de Confirmando Concilio Eliberitiano cap. 66.* contra Turrianum de Paphnutio diſputavit. Canone ergo 3. Nicæno per extraneas mulieres non uxores Clericorum intelliguntur, ſed aliæ fœminæ, quarum contubernio Clerici nonnulli uti ſolebant, de quibus *DODWELL, Diſſertat. 3. Cyprian. VALESIUS ad Euſebium pag. 156. ſeq.* & Autores ibi allegati. *HOLSTENIUS de Locis quibusdam Concilii Nicæni pag. 194.* & alii videantur. *RAYNAUDUS Tom. XV. pag. 111. 112. ESPENCÆUS de Continent. lib. VI. cap. 12. 15.*

§. LXIV.

Vexatiſſimus inter Canones Nicænos eſt, numero *Sextus.* Peculiarem Tractatum de recta intelligentia hujus Canonis edidit *LAUNOJUS,* cui ſe in alia Diſſertatione oppoſuit *VALESIUS,* adverſus quem Launojus novo Tractatu ſuam ſententiam vindicavit. Certarunt de eodem argumento *SIRMONDUS* & *SALMASIUS* in variis Tractatibus, quos de Eccleſiis Suburbicariis, quarum mentio apud Rufinum in verſione hujus Canonis injicitur, ediderunt. *Cenſuram* enim *SIRMONDI de Suburbicariis 1618.* editam excepit *1619. SALMASII Epiſtola de Suburbicariis:* Sequuta eſt *1620.* Sirmondo autore *Adventoria de Suburbicariis,* cui *An. 1621.* reſpondit Salmaſii *Euchariſticon pro Adventoria,* cui iterum Sirmondus *1622. Propempticon de Suburbicariis* oppoſuit. Eundem Canonem explicavit *SPANHEMIUS peculiari Diſſertatione, in Triade Diſſertationum Theologicarum Heidelbergæ 1664. edita,* primum locum; in

Digitized by Google

Quaternione autem *Diſſertationum Hiſtoricarum Lugd. 1679.* emiſſarum, locum ultimum occupante, ubi inſcribitur de æqualitate Veterum Metropoleon cum Romana, ſeu de Canone VI. Concilii Nicæni; cum in priori editione inſcripta fuiſſet de Primatu Papæ ex Concilii Nicæni Can. 6. Id autem inprimis in eâ Diſſertatione agit Spanhemius, ut refutet *LEONEM ALLATIUM, qui lib. 1. cap. 12. de Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis Conſenſu,* Canone 6. Nicæno Romani Pontificis primatum confirmari cenſet. Conferantur præterea de hoc Canone *PETRUS DE MARCA lib. 1. de Concord. Imperii & Sacerdot. c. 3. NATALIS ALEXANDER Diſſertat. XIX. ſec. 4. SCHELSTRATENUS Antiquitat. Illuſtr. Part. I. Diſſertat. 2. pag. 57. & ſeq. & Part. 2. Diſſertat. 3. cap. 9. pag. 488. PAGI ſec. 4. pag. 93 DU PIN de Diſciplina Eccleſiaſtica Diſſertat. 1. pag. 83. ANTONIUS DE DOMINIS lib. IV. cap. 2. MOLINÆUS de Novitate Papatus lib. IV. cap. 8.*

§. LXV

De reliquis Canonibus hujus Concilii videantur *BINIUS in Notis ad Concilia, BEVEREGIUS in Notis ad Synodicon, LUPUS in Scholiis ad Canones & Decreta Synodorum Generalium & Provincialium. CABASSUTIUS in Notitia Eccleſiaſtica, OSIANDER in Epicriſi,* quam ſingulis Canonibus addidit *Tom. II. Hiſtor. Eccl. p. 122.* quam Epicriſin repetit *ELLINGERUS in Canonibus Apoſtolorum & Conciliorum pag. 37. HERMANTIUS in Vita Athanaſii lib. 2. c. 16.* De Canone 5. agit *DU PIN in Tractat. de Diſciplina Eccleſ. Diſt. 2. pag. 98. & ſeq. In Canon. 15. de Translationibus Epiſcoporum JOH. ANDREAS SCHMIDIUS* commentatur. In *Can. 11. 12. 13. 19. ALBASPINÆUS.* Noſtratium & Reformatorum nonnulli, qui unum alterumve Canonem Nicæni Concilii paſſim explicant, inter quos etiam *LUTHERUS* noſter, qui

Tom.

Digitized by Google

Tom. VII. Jen. Germ. fol. 227. & ſeqq. nonnullos Nicæni Concilii Canones perſtringit, memorantur à *DORSCHEO de Concilio Nicano pag. 85.*

§. LXVI.

Inter Canones Nicænos, quos ex numero 20. Canonum hodie extantium perditos *BARONIVS ad ann. 325. num. 157.* & alii perhibent, eſt *Canon. de libris Canonicis;* ſiquidem librum Judith inter Canonicos libros à Patribus Nicænis relatum memorat *HIERONYMVS in Præf. ad Librum Judith.* Verum ad hunc Hieronymi locum prolixe reſpondet *RAINOLDVS in Cenſura Apocryphorum T. 1. p. 128. ſeq.* Multo minus verum eſt, quod per divinum quoddam miraculum libri θεόπνευστοι in ſuperiori divinæ menſæ parte, reliqui inferius inventi fuerint, quod commentum refertur in veteri quodam Synodico, quod à *JOH. PAPPO* editum *in Bibliotheca Canonica JVSTELLI* iterum vulgatum fuit, *pag. 1175.* Canon de modo conficiendi & certis characteribus inſigniendi literas communicatorias, ſeu formatas, de quibus *in Hiſtor. ſec. III. theſ. 176.* plura diximus, infirmo fundamento nititur, cum fragmentum epiſtolæ Attici, quod probationis loco adduci ſolet, haud immerito multis Criticorum pſeudepigraphum videatur. Autores de Canone circa *doxologiam Eccleſiaſticam* ſupra diximus. Canonem *de Bigamis* non ordinandis in Concilio Nicæno conditum aſſerit quidem *AMBROSIVS in Epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem pag. 1037.* Verum *BENEDICTINI in Notis ad h. l.* obſervant, Canonibus Nicænis in codice, quo Ambroſius uſus eſt, hanc Canonem ex aliis Conciliis additum, indeque Ambroſium deceptum fuiſſe. Canonem de Sacrificio à jejunis offerendo à Patribus Nicænis conditum fuiſſe, ex Carthaginenſi Concilio III. probari non poteſt, ut notavit *NATALIS ALEXANDER Diſſ. XIIX. ſect. 4. pag. 241.* ubi etiam reſpondet ad argumenta, quibus *ISIDORVS in Præfat, Collectionis Conciliorum* probare nititur, quod plures quam 20. Canones

 con-

Digitized by Google

conditi fuerint; necnon ad argumenta, quæ ex *ATHANASII ad Marium Epiſtola*, ex *Concilio Arelatenſi 2.* aliisque monumentis depromi ſolent.

§. LXVII.

Canonem *de Appellationibus ad Romanam Sedem*, in Nicæno Concilio decretum, jam olim ſeculo V. Zoſimus ejusque ſucceſſores fingebant. Verum cum Patres Africani authentica Canonum Nicænorum exemplaria ab Attico Conſtantinopolitano & Cyrillo Alexandrino transmiſſa contuliſſent, falſum canonem deprehenderunt. Neque enim in Nicæno, ſed in Sardicenſi Concilio Canon ille conditus fuerat; unde & Afri, apud quos Concilii Sardicenſis nulla autoritas erat, transmarinas appellationes rejecerunt; qua de re Acta *Concilii Carthaginenſis 6. & Africani* videantur; quæ fictitia eſſe *ANTONIUS CAPPELLUS in libello, quem de Romanis Afrorum Appellationibus inſcribit*, impudentisſime aſſerit. Unde etiam alii Pontificii *BELLARMINUS lib. 2. de Romano Pontif. cap. 24. 25. HENRICUS DE NORIS Hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 14. pag. 58. ſeqq. LUPUS de Privilegio Apellat. Diſſert. 2. cap. 26. pag. 649.* cum Actorum illorum veritatem diffiteri non audeant, alias elabendi rimas quærunt. Conferantur quæ de hac cauſa diſſerunt *PETRUS DE MARCA lib. 7. de Concordia Imper. & Sacerdot. cap. 15. & 16. & in Diſſertat. de Collect. Canon. c. 1. p. 201. RICHERIUS lib. 1. Conc. Gener. cap. 6. pag. 199. ſeqq. theſ. 6. QUESNEL. in Præfat. ad Opera Leonis M.* Conferantur è Noſtratibus *FLACIUS in Hiſtoria Carthaginenſis Concilii*, quæ ſubjuncta eſt *Refutationi Bruni pag. 201. & ſeqq.* & in *Catalogo Teſtium Verit. lib. 5. col. 515. ſeqq. AUTORES* der Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels *cap. 36.* Ex Reformatis *MORNÆUS in Myſterio Iniquitat. pag. 118. CHAMIER Tom. 2. Panſtrat. lib. XIV. cap. 3. 4. LEYDECKERUS in Hiſtoria Africana Tom. 2. p. 526.* Quod autem Pontifices Romani non per fraudem Canonem Sardicenſem pro Nicæno venditaverint, cum in Codice Canonum, quo uſi ſunt, Sardicenſes Canones Nicænis ſubjungantur, *QUESNELLIUS*

Digitized by Google

NELLIUS ex Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, quem in Appendice Operum Leonis M. addit, probare conatur. Simili excuſatione Romanorum Pontificum fraudem palliat *PETRUS DE MARCA in Diſſertat. de Collect. Can. theſ. I.* Quæ Diſſertatio extat inter Petri de Marca opuſcula poſthuma à *BALUZIO* edita, qui *theſ. IX. in Præfat.* de Chriſtophoro Juſtello queritur, quod Canones Sardicenſes in Veteri Codice, quem editurus erat, Nicænis immediate adjunctos cultro reſecuerit, & ad calcem rejecerit, ne Romano-Catholici è vetuſtisſimo illo Codice adverſus Proteſtantes pro dignitate & autoritate Canonum Sardicenſium præſcriberent.

§. LXIIX.

Canonibus concilii Nicæni Diatypoſes præmittit *GELASIUS lib. 2. cap. 31.* è quibus quintum de S. cœna agentem peculiari Tractatu illuſtravit *DORSCHEUS.* Nulla autem in ea Diatypoſi mentio fit *μετουσιώσεως* ſeu Transſubſtantiationis, quam vocem à Concilii Nicæni tempore arceſſere auſus eſt Monachus quidam *Benedictinus* Anglus, notatus à *Smitho in Miſcell. pag. 6.*

§. LXIX.

Confirmationem actorum ſuorum a Sylveſtro poſtulaſſe Patres Nicænos, jactat *FONTIDONIUS in Apologia pro Concilio Tridentino,* quæ extat *Tom. XIV. Concil. 1775.* Verum hanc gloriationem vanam eſſe, patet ex iis, quæ contra confirmationem Concilii Nicæni notat *Launojus Part. I. epiſt. IX. p. 78. CHAMIER T. 2. Panſtrat. Cathol. lib. XIII. c. 11. Richerius lib. 1. cap. 2. theſ. 6.*

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

H*Iſtoria Concilii Nicæni.* Diſtinguendum Concilium hoc, ob ratihabitionem omnium Eccleſiarum particularium œcumenicum dictum, à Nicæno, quod Ariani ſub Conſtantio Nicæ vel Niceæ in Thracia habuerunt (conf. §. 7.) ubi & Fidei Formulam condiderunt, quam doloſe Nicænam appellarunt. De Nicæe, Bithyniæ Metropoli, unde Concilium Nic. Oecumenicum nomen habet, vid. omnino Bevereg. in Annot. ad Synod. p. 42.

Ad §. 1.

Colligere videtur Franciſcus Combefiſius. Videtur hæc colligere in Notis ad Gregorii Presbyteri Orationem in 318. Patres Nicænos, & Conſtantinum Imperatorem: in hac quippe oratione Expoſitio Actorum Synodi Nicænæ in palatio Conſtantinopolitano ſervari dicitur. Exhibetur vero ea Oratio Tom. II. Auctarii Novi Biblioth. Græcol. Patrum à Combefiſio duobus tomis diſpoſiti, atque Pariſiis 1648. in fol. vulgati. Prior tomus exegeticus, poſterior hiſtoricus atque dogmaticus inſcribitur.

Franciſcus Turrianus de Turriano præter alios quamplurimos videantur Perroniana pag. 322.

Nec defuerunt, ut Baronius, qui in Arabia hæc Acta extare ſibi perſvaſerunt. Baronio jungendus eſt Cardinalis de Aguirre in Collect. Maxima Concil. Hiſpan. Tom. I. pag. 122. & Jobus Ludolfus in Commentario ad Hiſtoriam Æthiop lib. III. cap. 7. num. 76. ubi Abulbaracatum Arabem allegat, tria volumina talium Actorum Nicænorum deſcribentem. Idem refert l. c. Acta Concilii Nicæni Æthiopicè apud Ætiopes apud Coptitas vero Arabicè extare. Conſ. ejus Hiſtoria Æthiop. lib. 3. cap. 4. §. 30. ſeqq.

Ad §. 2.

In quorum numero Seldenus, qui in Commentario ad Eutychii Origines. Eutychii Ægyptii, Patriarchæ Orthodoxorum Alexandrini, Origines Eccleſiæ Alexandrinæ, Johannes Seldenus primum edidit Londini,

A. 1642.

Digitized by Google

A. 1642. verſione & commentario auctas. De quo Seldeni Tractatu videatur Abraham Ecchellenſis in Epiſtola ad Morinum, nec non Eutychius Vindicatus, ſive Reſponſio ad Seldeni Origines, quæ Romæ 1661. eodem Ecchellenſi autore prodiit, in duas partes diſtributa. Integros vero Eutychii Annales, ex quibus hæ Origines Eccleſiæ Alexandrinæ excerptæ ſunt, Arabicè & Latine duobus tomis in 4. Oxoniæ 1658. edidit Eduardus Pocockius, ſub hoc titulo : يخم الجوهر Contextio Gemmarum, ſive Eutychii Patriarchæ Alexandrini Annales, Johanne Seldeno chorago, interprete Edwardo Pocockio &c.

Et Baronius, qui ad A. C. 325. n. 62. jam pridem &c. Baronii ſententiam Ludolfus approbat in Comment. ad Hiſt. Æthiop. l. 3. cap. 4. num. 29. pag. 300. nec non Aguirre Concil. Hiſp. Tom. I. pag. 121. inter alia Antonii Auguſtini teſtimonio inductus, in capitulum 39. (41.) Hadriani Papæ hæc commentantis: *Negabant Afri in ſuis libris inveniri Canones; ſed neq; in Attici Conſtantinopolitani, neque in Cyrilli Alexandrini libris extare; quod quamvis verum eſſet, nihilominus tamen fuiſſe olim potuerunt ab hæreticis deleti, ut Julius & Felix II, & Athanaſius cum Alexandrinis teſtati ſunt.*

Quod in ejusdem libro de Synodis legitur Tom. I. pag. 873. editionis Colonienſis, juxta Pariſinam, cum Petri Nannii Alcmariani interpretatione latina tomis duobus impreſſæ. Leguntur ibi hæc: *quod ſi ad hanc rem uſus Synodi deſideratur, ſuperſunt Acta Patrum: nam neque hac in parte negligentes fuere, qui Nicææ convenerunt; ſed ita accurate ſcripſerunt, ut qui ſinceriter eorum ſcripta legat, facile reminiſcatur ejus in Chriſtum religionis, quæ à ſacris litteris annunciatur.*

In Græco tamen textu de Actis nihil legitur. Græcus textus eſt: ἐι δὲ καὶ Συνόδυ χρεία περὶ τύτυ, ἐςὶ τὰ τῶν πατέρων· καὶ τύτυ γὰρ ὖκ ἠμέλησαν ὀι ἐν Νικάιᾳ συνελθόντες· καὶ τὰ λοιπά.

Ex quo loco Valeſius. Hæc omnia, inquit Valeſius, *Fidei Formula & Canones cum Epiſtola Synodica, ſingulorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmata ſunt. Qui præter hæc tria putant etiam Acta Nicænæ Synodi ſcriptis mandata eſſe, ii vehementer falluntur, quippe Euſebius diſerte teſtatur &c.*

Et cum ipſo Antonius Pagi in Critica Baroniana n. 16. editionis Pariſienſis A. 1689. adornatæ, in editione Colonienſi longe auctiori, A. 1705. poſt Autoris mortem vulgata numerus 23, eſt, ad quem hæc notat: *Scripta fuit in Synodo Nicæna Fidei Formula & Canones cum Epiſtola Synodica, & ſingulorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmata, ut inſinuat Euſebius. Sed Acta Synodi ſcriptis mandata non ſunt; nam, ut inquit Valeſius in Notis, Euſebius diſerte teſtatur &c.*

Ad §. 3.

Digitized by Google

Ad §. 3.

Qui Acta & Diſputationes Concilii Niceni 40. libros occupaſſe ſcribit. Auctori Præfationis jungitur apud Cardinalem de Agvirre Abuharcus Muhamedanus ſcriptor, Parte altera ſuæ Apologiæ adverſus Chriſtianos, tradens, poſuiſſe Nicænos Conſtantino Fidem, itemque quadraginta libros, quos Canones adpellaverunt; & Georgius Homaidius P. I. Chronici perhibens, Nicænos compoſuiſſe Conſtantino M. librum Eccleſiæ, continentem quicquid ſpectat ad judicia & lites. Quibus quid reſpondendum ſit, e dictis ab Auctore conſtat.

Autor iſte fidem non magis meretur, quam Iſidorus Mercator. Iſidorum hunc Bebelius in Antiquitatibus Eccleſiæ Sec. I. Tom. I. pag. 50. haud magnæ fidei autorem, & ante Bebelium Joh. Hülſemannus in Patrologia pag. 1034. mendaciorum hamaxarium nuncupat. Strauchius in Amœnitatibus Juris Canonici p. 10. ſcribit: Iſidorum primum epiſtolas priſcas inde a Clemente mangonia fraude ſuppoſuiſſe. Caſpar Zieglerus in Jure Canonico, ſive Notitia & Animadverſionibus Academicis ad Joh. Pauli Lancilotti Inſtitutiones p. 50. impoſtorem vocat. Nolo præterea teſtem fraudis citare Anglicanæ Eccleſiæ Theologum & Archiepiſcopum Armachanum Jacobum Uſſerium, in Hiſtorica Explicatione de Chriſtianarum Eccleſiarum Succeſſione & Statu, Londini 1687. vulgata, cum P. I. p. 31. IſidorumMercatorem putidas illas merces, Epiſtolas ſimul cum Pſeudo-Conſtantini Donatione atque aliis Decretis Eccleſiaſticis in unum volumen compingentem, planum poſt natos homines nequiſſimum & improbiſſimum vocat. Satis idonei teſtes impoſturæ Iſidorianæ hac in parte ſunt ipſi Pontificiæ Religioni addicti homines Baronius, Blondellus, Launojus, Sirmondus aliique, quorum teſtimonia occaſione Diſſertationis de ſcriptis ad notitiam Conciliorum & Canonum ſpectantibus propediem edendæ pluribus explanabimus.

Ravenna legerit: Annumerandus eſt his Recentioribus Cardinalis de Agvirre, qui in Concil. Hiſp. p. 121. 122. 123. magno conatu id agit, ut vaſtum volumen Patribus Nicænis extorqueat; cum hoc probato neceſſario ſequi ſibi perſvadeat, plures etiam, quam 20. Canones inter tot tantaque Acta fuiſſe, vid. Præfat.

Balſamon in Explicatione Can. I. Antiocheni: In explicatione hujus Canonis, in quo mentio fieri dicitur alicujus Canonis de Paſchate, in Nicæno

Digitized by Google

cæno Concilio conditi Balſamon expreſſe negat, de Paſchate quicquam inter Canones Nicænos reperiri; hoc ſaltem aſſerit Balſamon, inter Acta, i.e. in Epiſtola Synodica, ex qua in Annotatione ſequente nonnulla huc facientia excerpſimus, aliquid reperiri. Cæterum Balſamon iſte, Antiochenus Patriarcha, Canones Apoſtolorum, Conciliorum Generalium & Provincialium, Patrum Epiſtolas Canonicas & Photii Nomocanonem, quem præfixit, Commentariis ampliſſimis explicavit, quæ omnia à Græco in latinum verſa, Gentiano Herveto interprete, Lutetiæ Pariſiorum typis Regiis An. 1620. in fol. juxta eum Græco textu prodierunt. Conf. de eo Beveregius in Prolegomenis ad Synodicon, ubi eum non ſolum jure Canonico pariter ac Civili inſtructiſſimum, ſed & hoc opus ejus paſſim eximium & egregium appellat. Cumque Beveregius editionem Pariſienſem imperfectam & mutilam in ipſo Græco textu deprehendiſſet, lacunis ex MS. Bibliothecæ Bodlejanæ expletis eam, vel potius MS. illud typis excuſum ſuo Synodico inſeruit. Idem Beveregius l. c. alia nonnulla Balſamonis ſcripta recenſet, quibus addi poteſt ejus Epiſtola de Raſophoris ſeu raſo indutis, ad Papicii Monaſteriorum Præpoſitum, Monachum Theodoſium, apud Joh. Baptiſtam Cotelerium in Eccleſiæ Græcæ Monumentis, lutetiæ Pariſior. 1686. tribus tomis editis, Tom. I. pag. 473. ſeq.

Ad Epiſtolam Synodicam reſpexit. In epiſtola Synodica apud Gelaſium hæc de Paſchate leguntur: εὐαγγελιζόμεθα δὲ ὑμᾶς καὶ περὶ τῆς συμφωνίας τȣ̃ ἁγίȣ πάχα, ὅτι ὑμετέραις εὐχαῖς κατωρθώθη καὶ τȣ̃το τὸ μέρος, καὶ τὰ λοιπά. quæ Robertus Balforeus ita tranſtulit pag. 47. *Lætum etiam nuncium vobis afferimus de conſenſu omnium in celebrando ſanctiſſimo Feſto Paſchatos, quod ea res etiam veſtris precibus recte conſtituta eſt &c.*

Euſebius. In primis in Vita Conſtant. M. l. 3. cap. 6. ſeqv. pag. 486: ſeqv. edit. Valeſianæ.

Athanaſius. In Epiſtola T. I. edit. Colon. p. 248. ſeq. exhibita, in qua docetur, quod Nicæna Synodus, animadverſa Euſebii calliditate, congruis & piis verbis decreta ſua ſuper Ariana hæreſi expoſuerit. It in 5. Orationibus contra Arianos p. 283. ſeq. & alibi.

Ad §. 4.

Ex Euſebio aliisque Scriptoribus. Conf. Cave in Hiſtoria Liter. Scriptorum Eccleſiaſticorum, Part. I. pag. 366.

Digitized by Google

Poſtea etiam Commelinus Heidelbergæ 1604. Gelaſiana Acta vulgavit. Actis Gelaſii in Commeliniano bibliopolio A. 1604. cum Roberti Balforei verſione vulgatis adjunguntur 1. Compendium Sanctarum & Univerſalium Synodorum, cum verſione Abrahami Sculteti. 2. Acta Synodi Generalis urbis Epheſinæ, ex verſione Theodori Peltani, quorum vero Græcus textus jam A. 1591. è Commeliniana typographia exierat.

Prior Pariſienſis editio neutiquam diſſimulatur. Nam Nicolaus & Juda Bonutii in Epiſtola ad Bartholomæum Pitiſcum 1604. ſcripta, atque latinæ Balforei verſioni præmiſſa, expreſſis his verbis editionis Pariſinæ mentionem faciunt. *Verum non hoc tantum* (Epheſ. Concil.) *ſed, ut liberalitatem noſtram cognoſcant, Synodum quoque Nicænam, nuper in Gallia primum, in Germania nunquam hactenus editam - - - nunc damus.*

Verum errores illos tanti momenti non eſſe judicat Dorſcheus. Cum Gelaſii nimius admirator, nonnullorum judicio, fuerit Dorſcheus, mirum non eſt, quod non modo ab iis, qui Romanæ Conciliorum editioni præfuerunt, notatos errores ejus extenuaverit, ſed etiam variorum Scriptorum, Photii, Nicetæ Choniatæ, Joh. Cypariſſotæ, Guilielmi Lindani, Alphonſi Piſani, Cuthberti Tonſtalli, Antonii Poſſevini, Roberti Balforei & aliorum, qui Acta Gelaſii vel laudarunt, vel memorarunt, ſatis magnum catalogum pertexuerit. Quæ vero Launojum abſtinere haud potuerunt, quo minus P. 8. epiſt. 1. parum dextre de Gelaſio ſentiret atque ſcriberet, quod perperam dicat, Rufinum Concilio Nicæno interfuiſſe, quod eum perperam Presbyterum Romanum vocet, quod perperam Francorum meminerit, Oſium Sylveſtri legatum faciat, Synodum ab Oſio congregatam dicat, Athanaſium Archidiaconum appellet, & quod in Subſcriptionibus inprimis, magnam ignorantiam ſuam prodiderit Gelaſius.

Quæ de baptiſmo Conſtantini Photius apud Gelaſium legiſſe dicit. Photius de baptiſmo Conſtantini hæc legit apud Gelaſium cap. 89. *καὶ τελευτᾷ δὲ εἰς τὴν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τελευτὴν, ἐν ᾗ καὶ τὸ τῆς ἀφέσεως ἐδέξατο θεῖον λουτρόν.*

Ad §. 5.

Plane autem cum hoc Autore - - convenit Autor Actorum Synodi N. à Combefiſio vulgatus. Convenire plane dum dicitur cum Anonymo Combefiſiano, quoad rerum narrationem accipiendum eſt. Convenientiam hanc ipſe etiam Combefiſius agnoſcere videtur, cum in Notis ad memoratum Auto-

rem

rem ait: extare eum pene integrum apud Photium num. 256. titulo: πολιτεία τῶν ἁγίων πατέρων Μητροφάνους καὶ Ἀλεξάνδρου. *Vita SS. Patrum Metrophanis & Alexandri.* Cæterum titulus Anonymo Combefiſiano plane alius præfigitur: Τὰ πραχθέντα ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῆς συνόδου ἐπὶ καθαιρέσει Ἀρείου, ἐν οἷς καὶ μερικὴ διήγησις τοῦ βίου τοῦ ἁγίου Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως. *Acta N. S. in cauſa depoſitionis Arii: in quibus parte aliqua enarratur magni ſanctique Imperatoris Conſtantini vita.*

Quem in Auctario hoc proxime antecedit Gregorii Cæſarienſis Oratio. Combefiſii conjectura eſt, Gregorium hunc medii ævi ſcriptorem eſſe, qui longe abfuerit à Concilio Nicæno, rogatuque Epiſcopi Nicæni hiſtoricam hanc narrationem ex antiquis monumentis circa forte Heraclii tempora, & ubi Perſæ, quos videtur Aſſyrios vocare, Imperii Romani pleraſque provincias devaſtaſſent, concinnaverit, eidemque Nicænæ Eccleſiæ, quam Patres præſentia illuſtraſſent, cimelium præclarum tradiderit.

Ad §. 6.

Non quale fuerit, ſed quale ad ſenſum & palatum Jeſuitarum eſſe debuerit. Id vero inprimis Piſanus in hac ſua Concilii Nicæni editione egiſſe dicitur, ut numerum Canonum Nicænorum augeret; quem in finem quicquid falſi & ficti fuit, operoſe congeſſit, effrenatæ inverecundiæ indicio & exemplo.

Launojus P. 8. epiſt. 1. Launojus in citata epiſtola Raimundo Formentino, Pariſienſi Theologo, quærenti, quæ de Præſide Concilii N. ſit probabilior ſententia, reſpondens varias ſelectas obſervationes, ad hiſtoriam C. N. facientes, variaque de Scriptoribus ejus judicia exponit, deque Piſani hiſtoria judicat, quod ea, ſi non minoris, certe majoris fidei non ſit, quam Gelaſii; quod in ea Veterum teſtimonia quærenda non ſint, niſi quis velit oleum & operam perdere, quod Piſanus multa a Gelaſio acceperit, vel ipſe commentus ſit, & reliqua.

Ad §. 7.

Deſcribit Busbequius ejusdem ſitum & hodiernam faciem. Urbem ait jacere in ripa lacus Aſcanii, mœnibus portisque ſatis integris munitam: ab Antonio inſtauratam fuiſſe, portarum inſcriptiones teſtari: extare & thermarum reliquias, è quibus, cum Turcæ præſente ſe ſtatuam armati mi-

litis eruiſſent, mox malleorum ictibus hanc ab iis deformatam fuiſſe; ſe ſuosque ſocios id ægre ferentes, ab iis deriſos & quæſitos, num eam venerari & adorare vellent. Ex antiquis de Nicæa vid. Strabo l. 12. & Plin. lib. 5. cap. 32.

Euſebius in prædicto libro cap. 10. Verba Euſebii lib. 3. tam de palatio, quam de Eccleſia accipi poſſunt, cum Euſebius lib. 10. per βασίλειον οἶκον Eccleſiam intelligat. In templo habitum fuiſſe Concilium Binius & alii inde probant, quod in Actis Concilii Chalced. id dicatur. Verum Dorſcheus ſe id in Actis Concilii Chalced. reperire potuiſſe, recte negat.

Ad §. 8.

Satis longe aberrat Ellies du Pin. Vitium hoc forte typographo potius, quam Autori tribuendum eſt.

Pſeudo-Athanaſius, qui in Epigraphe Diſputationis cum Ario &c. Fallitur Oudinus, qui hanc diſputationem inter Vigilii Opera a Chiſletio editam aſſerit, conf. Schediaſma Ittigii de Autoribus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt, pag. 21. Eam ſuppoſitam eſſe Athanaſio, præter inſcriptionem probant alia indicia. Præfatio vult eam in privato diverſorio habitam: multa de divinitate Sp. S. ibi diſputantur: errorem ſe exuere dicit, quod Arius non fecit: Ab hæreticis ordinatus dicitur, cum Arius ab hæreticis ordinatus non fuerit, ſed a Petro Alexandrino.

In editis Euſebiani Chronici editionibus magna varietas deprehenditur. v. g. in editione Baſileenſi Concilium Nicænum ponitur A. C. 324. Conſtantini 15. in Pontaci editione A. C. 323. Conſtantini 14. in Scaligeriana A. C. 322. Conſtantini 15.

Ad §. 9.

Perperam in 22. Maji transmutarunt. Chriſtophorſonus & Valeſius XI. Cal. Jun. poſuerunt, cum XIII. Cal. Jun. ponere debuiſſent.

In priſca Canonum editione. In priſca Canonum Collectione.

Et hanc ſententiam verborum eſſe confirmat Valeſius. Valeſius initium Concilii Nicæni ad Junium mavult ideo referre, quam ad Majum, ut plus temporis & ſpatii rebus illis relinquatur, quas Conſtantinus M. poſt debellatum Licinium ante Concilium Nicænum geſſiſſe perhibetur.

Ad §. 10.

Digitized by Google

Ad §. 10.

Qui per triennium & ſemeſtre ſpatium &c. Iis, qui ultra triennium duraſſe Concilium Nicænum ſtatuunt, addi poteſt Cardinalis de Agvirre, Concil. Hiſp. Tom. I. pag. 123. ſeq. cui hæc ſententia ideo forte placet, ut exinde plures Canones quam 20. eliciat. Qua vero conſequentia, vid. Præfat.

Ad §. 11.

Ad Imperatorem Conſtantinum. Pogonatum.

In quorum numero Johannes Launojus. Et Richerius Lib. I. Hiſt. Conciliorum Gener. cap. 2.

Adverſus quem nonnulla excipit Natalis Alexander &c. Adducit primum Nat. Alexander pro confirmanda Pontificis poteſtate Oecumenica Concilia convocandi, Epiſtolam Synodicam Concilii Conſtantinopolitani I. apud Theodoretum lib.5. c.9. ex qua conſtare putat, quod orientales Epiſcopi ad literas Damaſi, Concilium indicentis, ſe convenire debuiſſe profeſſi fuerint, & Romanum Pontificem generale Concilium Romæ indicere potuiſſe agnoverint. Verum Orientales Epiſcopi in Epiſtola illa Synodica, quæ non in ipſo Concilio Conſtantinopolitano Oecumenico, ſed anno ſequenti in novo conventu ſcripta eſt, neutrum aſſerunt, & in Imperatore potius, quam in Romano Pontifice poteſtatem convocandi Oecumenici Concilii agnoſcunt. Non enim fit mentio in Epiſtola Synodica literarum Damaſi, Concilium indicentis; ſed literarum Damaſi & aliorum occidentalium Imperatori ſupplicantium & literarum piisſimi Imperatoris, ſive Gratiani, ut putat Molinæus, ſive Theodoſii, ut Valeſio placet; qui etiam arbitratur literas Occidentalium ad Theodoſium adhuc extare in Appendice Codicis Theodoſianæ per Sirmondum edita. De mandato literarum Damaſi nulla apud Theodoretum mentio. Nam γράμματα non ſunt mandatum litterarum. Adducit deinde Natalis Alexander epiſtolam 8. Pelagii II. ad Epiſcopos Orientales, in qua ex regulis Apoſtolicis & ſingulari privilegio autoritatem œcumenica concilia convocandi Sedi Romanæ vindicat. Verum ſi hæc epiſtola genuina eſſet, tantum probari ex ea poſſet, quod aliquis Pontificum hanc poteſtatem ſibi arrogaverit, non item quod Eccleſia talem poteſtatem in Romano Pontifice agnoverit. Etſi enim Alexander objiciat, quod

quod nemo huic epiſtolæ reclamaſſe legatur, regeri tamen poteſt, eam à nemine Epiſcoporum approbatam legi. Præterea illud Petri privilegium Pelagii anteceſſoribus incognitum fuiſſe, ex eo colligi poteſt, quod ſæpe Pontifices ab Imperatoribus generalia Concilia indici poſtulaverint. Nam, ut de Liberio nihil dicam, quem ob Conſtantii Imperatoris in orthodoxos tyrann idem privilegio ſuo uti non potuiſſe Alexander excipit, etiam Leo Magnus, qui apud Imperatores ſui temporis gratia plurimum valuit, tam Theodoſium, ut Synodum Epheſinam 2. quam Martianum, ut Chalcedonenſem Synodum indicaret, ſupplicibus litteris rogavit. Nec alii Pontifices, quorum ætate Imperatores œcumenica Concilia indixerunt, de injuria Sedi ſuæ facta unquam queſti ſunt. Unde colligi poteſt, Pelagii 2. epiſtolam, ſupra memoratam, ad malas Iſidori Mercatoris merces pertinere, quod aliis etiam argumentis probarunt Launojus Part. 6. epiſt. 5. p. 522. & Blondellus in Pſeudo-Iſidoro pag. 645. & in Tractatu de Primatu Eccleſ. p. 1002. qualia ſunt: falſum eſſe quod dicit Pſeudo-Pelagius in epiſtola, generalem Synodum à Joh. Conſtantinopolitano convocatam fuiſſe. Nam Gregorius quidem ſcribit Synodum à Johanne habitam fuiſſe, ſed non dicit generalem fuiſſe: ſtylum à Pelagiano plurimum diſtare: ſignatam eſſe anno Domini, qui conſignandi modus nondum in uſu fuerit: conſarcinatam eſſe ex aliorum Pontificum epiſtolis, partim Pelagio antiquiorum, partim recentiorum: Gregorium M. non auſum fuiſſe ex Pelagii epiſtola multa verbotenus exſcribere, & ſua facere, in eadem epiſtola, in qua ſe Pelagii Epiſtolam Eulogio & Anaſtaſio miſiſſe ſcribit: certum quidem eſſe, ſcripſiſſe Pelagium II. ad Joh. Conſtantinopolitanum, & Synodum ab eo factam improbaſſe, quas literas Eulogio Alexandrino & Anaſtaſio Antiocheno Gregorius transmiſerit, ſed litteras illas periiſſe, & ab impoſtore alias ſuppoſitas: apud Gratianum c. *nullus Patriarcha* Pelagii titulo perperam prænotari, cum Gregorii titulo prænotandus eſſet; quod non animadvertiſſe Molinæum, emunctæ alioqui naris virum, mirum eſſe, & reliqua. Porro falſum eſt, quod Alexander de Oecumenicis Occidentis Conciliis aſſerit, nempe ea omnia à Pontifice convocata fuiſſe. Nullatenus enim probari poteſt, concilia occidentis à Pontifice indicta œcumenica fuiſſe. Nec majoris ponderis ſunt reliqua Alexandri argumenta. Non enim ſequitur, Pontifici Romano competere jus Oecumenica Concilia convocandi, quia tribus prioribus ſeculis concilia ab Imperatoribus indicta non fuerunt; ſiquidem illo tempore neque Imperatores Chriſtiani, neque Concilia Oecumenica fuerunt, neque

ad

ad congreganda illius temporis Concilia Epiſcopi Romani autoritate opus fuit, ut ex hiſtoria trium priorum ſeculorum abunde conſtat. Si autem periculoſum videtur Alexandro Eccleſiam ſubjicere Imperatori, cum idololatra vel hæreticus eſſe poſſit, aut etiam Imperium in plures dividi queat; cogitet, an non etiam periculoſum ſit, Eccleſiam Pontifici Romano ſubjicere, cum & ille hæreticus eſſe poſſit (ut ex hoc ipſo §. exemplo Honorii monotheletæ patet.) & nonnunquam cathedra Romana in plures Antipapas diviſa fuerit. Neque pro ipſius ſententia facit dictum Chriſti Matth. 18. 20. cum ex illo nullis fidiculis extorqueri poſſit, quod Oecumenica concilia Pontificis Romani autoritate convocari debeant, qua de re plura videantur apud Spanhemium lib. 3. Vindic. Matthæi pag. 296. ſeq. Ad ea, quæ de Valentiniano Imperatore & Theodorico Rege objicit, jam pridem à Chamiero Tom. II. Panſtrat. lib. 13. c. 20. reſponſum eſt. Quantum autem ſpecialiter Concilium Nicænum attinet, urget Alexander, ſaltem Imperatorem, cum hoc Concilium indiceret, Sylveſtri conſenſu opus habuiſſe. Probat id autoritate Rufini, qui lib. I. cap. 1. ex Sacerdotum ſententia Concilium indictum aſſerit; quaſi vero per Sacerdotes Epiſcopus Romanus, & per ſententiam autoritas convocandi intelligeretur. Allegat etiam Synod. 6. Generalem, quæ Act. 18. Concilium Nicænum à Conſtant. M. & Sylveſtro congregatum dicit. Verum ſi Natali Alexandro ad objectionem Launoji ex libro Diurno factam reſpondere licet, quod Diurnus ille liber ſolius Imperatoris mentionem faciens, poſt Synodum ſextam, quæ Sylveſtrum & Conſtantinum conjungit, editus fuerit; nobis etiam reſpondere licebit, quod Synodus ſexta non ſit præferenda antiquioribus Conciliis, quæ nulla Sylveſtri mentione facta Nicænum Concilium à Conſtantino indictum aſſerunt. vid. quæ circa initium hujus paragraphi dicta fuerunt.

Reiſerus in Tractatu, quem inſcribit: Johannes Launojus Teſtis & Confeſſor Veritatis. Cohærent Launoji, Alexandri & Reiſeri Diſputationes breviter ita: Rufinus dicit, Conſtantinum ex ſententia Sacerdotum Concilium convocaſſe. Excipit Launojus: Rufinum loqui de Alexandro Epiſcopo Alexandrino, cujus hortatu juxta Epiphanium hæreſi 68. Conſtantinus Nicænam Synodum convocavit. Reſp. Alexander, Epiphanium in hæreſi Ariana alicubi erraſſe. Contra Reiſerus notat, non ſequi, erravit in uno, Ergo & in altero. Ulterius dicit Natalis Alexander, potuiſſe Alexandrum hortari Imperatorem ad Synodum habendam, & Imperatorem potuiſſe à Sylveſtro licentiam Synodi impetrare. Reſp. Reiſerus, a poſſe ad eſſe N.V.C.

Con-

Digitized by Google

Conceſſit Launojus verba Synodi 6. *in* Generali Concilio illo dicta eſſe, non à Concilio, ita ut totum Concilium approbaverit. Excipit Alexander, cætera, quæ dicta ſunt, cum non reclamarunt Patres Nicæni, approbarunt, & ſua fecerunt. Regerit Reiſerus: non omnia in Conciliis, quibus non reclamarunt Patres approbari.

Quid Thomaſinus occaſione Conc. Nic. de Jure Synodorum diſſerat, vid. Diſſert. ejus 3. de Concil. Thomaſini Diſſertationes ad Concilia jam anno 1667. Pariſiis impreſſæ, ſed ſuperiorum, & imprimis Harduini de Perefixe, Pariſienſis Archiepiſcopi, autoritate, ſuppreſſæ, & per 27. annos quaſi carceri incluſæ latuerunt, donec anno 1694. typographi commodas captivam has liberandi occaſionem nacti viderentur. Cæterum Thomaſinus in Diſſert. 4. quæ de Concilio Nicæno agit, perinde ut Natalis Alexander prolixe probare conatur, quod jure divino autoritas generalia Concilia convocandi Epiſcopo Romano competat, neque Imperatorum facta juri hic quicquam præjudicare poſſint. Sed argumenta ejus, quæ pro tuenda ſua ſententia profert, vel eadem ſunt cum illis, quæ ab Alexandro adducta diluimus, vel pari infirmitate laborant. Inter alia dicit, etiam antequam Imperatores Generalia Concilia indicendi poteſtatem ſibi arrogaverint, Generalia Concilia habita fuiſſe, quibus annumerat Carthaginenſe de Baptiſmo, Cypriani ævo; non attendens, illud Concilium non modo ab Epiſcopo Romano congregatum non fuiſſe, ſed etiam decretum Romanæ Pontificis ſententiæ contrarium addidiſſe. Urget Concilia quædam ab Imperatoribus indicta infelicem exitum habuiſſe, eccleſiam ultra Romani imperii fines pomœria ſua extendere. Quæ quam parum hæc inferant, quis non videt? Urget, in Actis Concilii Epheſini ſub Polycrate, qualia apud Bedam in Tract. de Æquinoctio Verno extant, Epiſcopo Romano poteſtatem Concilii convocandi tribui. Verum Acta illa, qualia apud Bedam extant, ſuppoſita ſunt. Obiter notandum, duo loca in hac Diſſertatione Thomaſinum mutare oportuiſſe. Nempe 1. quod dixerat, Chriſti juſſione melius, quam minis Regum, Concilia convocari. 2. quod dixerat, ea quæ Conſtantinus apud Euſebium, de Epiſcopatu ſuo dixit, inter epulas & jlocalariter potius ac feſtive, quam dogmatice dicta fuiſſe. Alias in aliis Diſſertationibus mutationes volente DEO cum Annotationibus in Diſſertationem de ſcriptis ad notitiam Conciliorum & Canonum ſpectantibus, propediem dabimus, ubi Thomaſini Diſſertationes recenſemus.

Ad §. 12.

Digitized by Google

Ad §. 12.

Arii nomen a notiſsima priscis Romanis Arrianorum gente alienum. Epiphanius patria Libycum fuiſſe Arium aſſerit; & Conſtantinus apud Socratem l. 1. c. 19. patriam ejus Alexandriam appellat. Quoad externam corporis ſpeciem, gravitatem, modeſtiam & virtutem præ ſe ferebat, tota corporis configuratione ſubdoli ſerpentis inſtar, ad fraudem & fallaciam compoſita; ita ut callido illo habitu facile ſimplicioribus obreperet. In ſalutationibus & colloquiis blandus erat; quare brevi 700. fere Virgines ab Eccleſia abſtrahebat, 7. Presbyteros & 12. Diaconos abducebat. Quin & peſtiferum ejus virus ad Epiſcopos uſque pervadebat, ut loquitur Epiph. lib. 2. adverſ. Hæreſ.

Epiphanium in geſtis Meletii narrandis erraſſe. v. g. Petrus Alexandrinus ſeveras leges de diſciplina Eccleſiaſtica promulgavit, unde non probabile eſt, quod tam indulgens in lapſos fuerit: ipſe Meletius lapſus eſt, unde probabile non eſt, Meletium lapſos a pœnitentia rejeciſſe. Nec eſt probabile, quod Meletius Arium detulerit apud Alexandrum.

Ad §. 13.

Notat Papebrochius in Notis ad Ephemerides Moſcorum Figuratas. Notat etiam Papebrochius ibidem, quod hic Petrus à Græcis martyrum ſigillum appelletur, quia, ut prædixerat, ultimus Alexandriæ in illa perſecutione ſanguinem ſuum publica autoritate fudit.

Et Natalis Alexander. Suſpectæ fidei eſſe Acta illa Petri, Alexander ex eo probat, quia refertur in iis, Petrum Chriſti nomine prohibuiſſe Achillæ & Alexandro, ne Arium in Eccleſiam reciperent, quod tamen ab iis neglectum fuit: quia dicitur Petrus Arium excommunicaſſe, qui tamen hoc tempore hæreſin nondum excitaverat: quia dicitur Petrus Diocletiani juſſu martyrio affectus, cum Diocletianus jam pridem imperio ſe abdicaverat.

Ad §. 14.

Petavius Tom. II. Dogm. Eccl. lib. 1. de Trinit. c. 7. Quonam vero tempore, inquit l. c. *primum ab Ario hæreſis diſſeminari cœperit, indicat Oroſius lib. VII. ubi his diebus, quibus Cæſares creati ſunt Criſpus & Conſtantinus junior, id accidiſſe ſcribit. Facti ſunt autem illi Cæſares, ut in Faſtis Idatii legitur,* A. C. 317. *Quare non aſſentior iis (v. g. Baronio ad A. C. 315.) qui Lactantium lib. IV. c. ult. putant Arianos inter alios hæreticos numeraſſe. Illud enim nomen perperam in contextum irrepſit, nec in emendatis Codicibus legitur.*

Baluzius in Notis ad Lactantium de Mortibus Perſecutorum. Refert in illis Baluzius p. 4. Lactantium libros Divinarum Inſtitutionum ſcrip-

Digitized by Google

ſiſſe furente perſecutione, in ipſis ejus initiis, quod ex lib. V. c. 2. & 4. colligi poſſit, ſed non emiſiſſe, rei & temporum neceſſitate impeditum. Pace data, omnique metu a pectoribus Chriſtianorum depulſo, beneficio Conſtantini M. Lactantium libros ſuos recenſuiſſe, atque paſſim quædam addidiſſe; ſiquidem ſparſim quædam loca reperiantur, quæ manifeſto conſtet, ſcripta fuiſſe poſt bellum ſedatum atque extinctum. Addidiſſe vero imprimis illa, quæ in initiis librorum & in Epilogo dicuntur ad Conſtantinum, quæque perperam nonnulli judicent notha eſſe ac ſuppoſititia, quorum præjudicio fretus Joſephus Iſæus, qui poſtremam Lactantii editionem Romanam emiſit, univerſa deleverit, quæ in aliis editionibus ad Conſtantinum ſcripta leguntur: quæ vero Lactantii eſſe, doceat ſtyli identitas. Probabile eſſe, pergit Baluzius, duas fuiſſe antiquitus editiones Divinarum Inſtitutionum, unam quæ ſtatim poſt Eccleſiæ pacem emiſſa fuerit, alteram poſt bellum Cibalenſe & Mardienſe, quum veniſſet in Gallias, ut Criſpum Conſtantini Filium informaret. Accedit ad redarguendum Petavium, quod ſub initium libri I. Divinarum Inſtitutionum Lactantius meminerit perſecutionis Licinianæ, quæ Anno 319. vel 320. cœpit: & quod vix unum & alterum exemplar inveniatur, in quo Arianorum nomen omiſſum fuerit. Certe in antiquiſſima editione Venetiis A. 1497. impreſſa Lib. IV. c. ult. id legitur: *Cum enim*, inquit, *Phriges aut Novatiani: aut Valentiniani: aut Martionitæ: aut Antropiani; aut Ariani: ſeu quilibet alii nominantur &c.*

Ad §. 15.

Inſcripta eſt hæc epiſtola Alexandro Conſtantinopolitano. Diſſimulari non poteſt, in græca editione Roberti Stephani, Alexandrum, ad quem ſcripſit Alexander Alexandrinus, omiſſo Epiſcopatus loco, ſimpliciter Alexandrum nominari, quod etiam in Camerariana Theodoreti verſione factum deprehendimus. Verum tamen, cum Theodoretus in capite præcedenti, illo tempore Alexandrum Conſtantinopoleos Epiſcopum fuiſſe dicat, vix dubitandum eſt, quin adhunc Alexandrum hæc epiſtola directa fuerit, quem Theodoretus ſui temporis ſtylo uſus Conſtantinopolitanũ Epiſcopum nominavit, etſi illo tempore, quo hæc epiſtola ſcripta fuit, Byzantiũ nondum Conſtantinopoleos nomine gauderet. Nec ſententiæ huic opponi poteſt, quod proximis ante Concilium Nicænum annis, & ipſo Concilii Nicæni tempore, Metrophanes adhuc Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuerit. Etſi enim ita ſtatuerit Gelaſius lib. II. de Conc. N. c. 5. Autor Actorum Metrophanis apud Photium Cod. 256. Nicephorus lib. 8. Hiſt. c. 14. & alii, quibus e recentioribus adſtipulatur,

Digitized by Google

latur Combefiſius in Auctario Novo Bibliothecæ Græcorum Patrum p. 593. ubi inter alia à Binio in Notis ad Concilia fruſtra & perperam Rufinum & Sozomenum pro contraria ſententia allegari obſervat; Gelaſio tamen, qui primus hujus ſententiæ Autor eſt, anteferendus Theodoretus, qui jam ante Concilii Nicæni convocationem Alexandrum Conſtantinopoleos Epiſcopum fuiſſe indicat. Cujus ſententiæ Latinus Nicephori interpres tam certus fuit, ut pro Metrophane, qui in Græco textu legitur, in latina ſua verſione Alexandrini nomen ponere non veritus fuerit. Et quamvis Dorſcheus, qui in Tractatu de Conc. Nic. p. 42. & 43. in Gelaſii ſententiam inclinat, adverſus Theodoreti autoritatem excipiat, epiſtolam Alexandri ad Alexandrum non prodere, num ante, an poſt Concilium Nic. ſcripta ſit, minime tamen dubitandum cenſeo, quin hæc epiſtola, in qua nulla Concilii Niceni mentio occurrit, ante Concil. Nic. ſcripta fuerit. Et præterea Theodoretus c. 3. ea tempeſtate, qua Arii hæreſis emerſit, quod aliquot ante Concil. Nic. annis factum eſt, Alexandrum Byzantinæ, ſeu, ut ſtylo ſui temporis loquitur, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſediſſe refert. Relinquimus vero etiam Baluzio conjecturam ſuam, qui Alexandri epiſtolam non ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, ſed ad Alexandrum Theſſalonicenſem ſcriptam ſuſpicatur, tanquam unum inter præcipuos Orientis Epiſcopos, cujus Eccleſia inter Apoſtolicas numerata fuit, cum quibus reliquæ in gravioribus negotiis Communicare tum temporis ſolebant. De qua ſententia quid ſtatuendum videatur, indicat Autor Gallicus Hiſt. Concil. General. p. 203. Quomodo autem conciliari poſſit, quod Pagi ad annum Chriſti 315. n. 7. Alexandrum ante Nicænam Synodum Byzantii Epiſcopum fuiſſe agnoſcit, & tamen ad annum 317. n. 6. Metrophanem tempore Concilii Nicæni adhuc Byzantii Epiſcopum fuiſſe cum Baluzio aſſerit, non invenio.

Quorum aliqui ab aliis Presbyteris annumerantur, qui unà cum Ario excommunicati ſunt. Ex Presbyteris nominatur Arius, ex Diaconis Achillas, Euzojus, Arius alter, Helladius &c. Si Cardinalem de Agvirre audiamus Tom. II. Concil. Hiſp. p. 20. dicti, pluresque alii, ut ſunt Acitale, Lucius, Sarmatius, Julius & Mena abdicati, & anathematizati fuerunt, non in hac prima, ſed ſecunda Synodo Alexandrina. Nimirum putavit ea, quæ in Synodico libro c. 33. de Synodo Alexandrina ſub Alexandro referuntur, ad Alexandrinam Synodum poſteriorem pertinere, cum potius ad priorem ſpectare videantur.

Digitized by Google

Tempus, quo duæ Synodi Alexandrinæ congregatæ ſunt, præciſe determinari non poteſt. Determinat quidem Cardinalis de Agvirre, cum T. II. Concil. Hiſp. p. 20. ſcribit: *ſecundum Concilium extra Hiſpaniam celebratum, præſente Oſio, fuit Alexandrinum, A. C 319. Sylveſtri Papæ 6. Conſtantini Imperatoris 14.* & rurſus: *præterea Socrates de eodem Concilio loquens iterum occaſione Synodi Nicanæ, ſex annis poſtea coactæ* (325.) *inquit* &c. ſed nullum ſuæ determinationis addit fundamentum.

Ad §. 17.

Hoſium -- Alexandriam miſit. Quod ante annum 324. fieri non potuiſſe, contra Baronium Pagius & alii obſervant.

Frigidis ratiunculis reſpondet. Profert Baronius has ratiunculas Tom. III. p. 286. edit. Rom. nimirum, quod Oſius Alexandrinam Synodum, quæ Athanaſio Generalis dicitur, convocaverit, non potuiſſe autem Oſium Synodum Generalem convocare, niſi Legatus Pontificis fuiſſet. Reſpondetur, non fuiſſe opus ad convocationem Synodi Generalis, ut Legatus eſſet Papæ. Urget, quod Conſtantinus in epiſtola ad Alexandrum & Arium nullam Oſii mentionem faciat, tanquam Legati ſui. Reſpondetur alias literas habuiſſe Oſium, quibus ejus legatio expreſſa fuit. Ut reliquas ratiunculas taceamus.

Ad §. 18.

Inter ipſos Orthodoxos contentio non exigua agitata fuit. Conf. Petavius T. II. Dogmat. Theol. Lib. IV. de Trinitate c. 4. p. 202. ubi inter alia: *hæc*, inquit, *perſonarum trium & totidem hypoſtaſeon profeſſio magnas in Oriente turbas concivit, imo Orientis & Occidentis Eccleſias inter ſe commiſit, cum Græci tres hypoſtaſes & unam uſiam aſſererent: Latini unam hypoſtaſin ſive uſiam, perſonas tres; quæ ex controverſia natum eſt illud Eccleſiæ Antiochenæ diſſidium, ut refert Baſilius epiſt. 349.*

Cujus epiſtola Synodica videatur. Decretum hujus Concilii tandem obtinuit, ut conſtat ex Theodoreti Dialogo de Immutabili, & Auguſtino de Trinit. Lib. V. c. 8. & 9. Qui non dubitat, Græcos verè dicere tres hypoſtaſes, ſed Latinos minus rectè dicere tres ſubſtantias. Decreti vero ſumma, & quæ præceſſit hiſtoria, huc redit. Cum interrogati eſſent, qui tres hypoſtaſes defendebant, num ſic tres hypoſtaſes ſtatuerent, uti Ariani, ſic ut una quæque hypoſtaſis per ſe ipſa ſeparata conſiſteret, ut creaturæ reliquæ, & quæ ex hominibus naſcuntur: illique reſpondiſſent, ſe Trinitatem in una ὀυσία & ὁμοούσιον confiteri: Cum deinde interrogati eſſent, qui unicam hypoſtaſin

ſtaſin tuebantur, num ſenſu Sabelliano id aſſererent, ac Filium ἀνύσιον ſubſtantia carentem, Et Sp. ſ. ἀνυπόςατον non ſubſiſtentem aſſerere, vellent, iique ſubjeciſſent, longe ſe alia ſentire; nam idcirco ſingularem Trinitatis hypoſtaſin ſe ſtatuere, quod Hypoſtaſin idem cum Uſia putarent: & cum his auditis vehementer aſſenſiſſent partis alterius homines; tum convenerunt in hoc omnes, ut ne aliam fidei Formulam, verborumque conceptionem exigerent, præter eam, quam Nicæna Synodus expreſſerat.

Luciferi Calaritani. De Lucifero ejusque Schiſmate vid. Petavius l.c.

οὐσίαν καὶ ὑπόςασιν unum idemque eſſe probare nitebantur. Baſilius harum vocum differentiam è verbis Symboli: *ſi quis dicat, quod ex alia ſubſtantia vel ſubſiſtentia, quam Patris, genitus ſit, ei anathema denuntiator*, elicere contendit. Notat vero Petavius Dogmat. Theol. T. II. lib. 4. de Trinitate c. I. p. m. 186. quod Athanaſius, qui Nicæni Concilii, cujus magna pars fuerit, mentem & ſententiam perſpectam habuerit, ὑπόςασιν haud temere in alium ſenſum uſurpet, quam pro ἐσία ſive eſſentia plerisque in libris, quos longe poſt Nicænæ Synodi tempora conſcripſerit; quod minime facturus fuiſſet, ſi id verum exiſtimaſſet, quod de Synodo Nicæna Baſilius M. epiſt. 78. differit. Baſilium porro Epiphanii Cyrilli aliorumque Patrum, qui Synodo Nicænæ vel interfuerunt, vel paulo poſt floruerunt, teſtimoniis prolixe refutat. Conf. T. V. lib. II. de Incarnatione c. 3. n. 10, p. 64. & lib. VI. c. I. p. 271. ſeq. Quæ cum ita ſint, nonnulli Athanaſianum Symbolum propterea ab Athanaſio ſcriptum negant, quod ἐσία & ὑπόςασις ibidem accurate diſtinguantur.

Ad §. 19.

Ut Eccleſiarum diſſidia circa tempus celebrandi Paſchatos componeret. Nimirum in hac ſecunda Synodo Alexandriæ coacta; quamvis nonnulli exiſtiment, quantum ad controverſiam de Feſto Paſchali attinet, Oſium non Alexandriæ, ſed forte in Syria & aliis locis de illa quæſtione egiſſe.

Neque per Polycarpi cum Aniceto Epiſcopo Romano colloquium. In libello Synodico refertur Concilium, quo Polycarpus & Anicetus damnaverint eos, qui luna 14. Paſcha celebrarent.

Neque per varia Concilia. Per Epheſinum ſub Polycrate, Romanum ſub Victore, Palæſtinum ſub Theophilo Cæſ. Lugdunenſe ſub Irenæo, aliaque.

Ad §. 20.

Quæ falſa hypotheſi, quaſi Hoſius Sylveſtri legatus fuerit, innititur. Eadem

Digitized by Google

falſa hypotheſi nititur Agvirre Tom. II. Concil. Hiſp. p. 20. ubi, dubitanter licet, aſſerit, hoc Concilium (quod ipſi ſecundum eſt extra Hiſpaniam a Sylveſtro Papa celebratum, cum prima fuerit ipſi Arelatenſe I. præſente Oſio habitum) ab Athanaſio ideo Generale dictum, quod Sylveſter Oſium tanquam Legatum eo miſerit, qui nomine Sedis Romanæ eidem præfuerit. *Secundum Concilium*, inquit, *fuit Alexandrinum A. C. 319. Sylveſtri Papæ 6. Conſtantini Imperatoris 14. Interfuerunt omnes Epiſcopi ad primatum Alexandrinum ſpectantes, unà cum Oſio Epiſcopo Cordubenſi, qui munere legationis Pontificiæ utebatur, ac præerat nomine Sedis Apoſtolicæ; & propterea fortaſſe ſ. Athanaſius Apologia 2. hanc Synodum appellat Generale Concilium.* Qua confidentia vero Cardinalis aſſerere id potuerit, eo magis mirari ſubit, quod is non ſolum omni autoritate veterum probatorum Scriptorum deſtituatur, ſed & ipſe Socratem & Photium alleget, aſſerentes Oſium Conſtantini M. juſſu Alexandriam contendiſſe. Scilicet ſolius Binii autoritas, ad Concilium hoc commentantis, quod Sylveſter legatum ſuum Oſium iſtac ablegaverit, & quod Oſius ſumptis à Conſtantino Imperatore literis, quas illi communicavit, pacis & concordiæ ſvaſoriis in Ægyptum venerit, Synodum indixerit &c. plus apud Cardinalem potuit, ſcribere volentem, quæ Romanæ ſedi grata eſſent, quam Euſebii aliorumque veterum bonæ notæ Scriptorum autoritas.

Ad §. 21.

Probat Valeſius in Notis ad Socratem. Cum Valeſio conſentit Petavius l. c. *Præter has*, inquit, *circularem aliam epiſtolam ab eo miſſam ſcribit Epiphanius, in qua adverſus Arium & Arianos vehementius eſt invectus, quæ apud Gelaſium in Actis legitur lib. III. ſed ea incondita eſt ac frivola: ut propemodum ab otioſo aliquo ficta, & Conſtantini nomine publicata videri poſſit. Quod ſi vere ſcripta eſt ab illo, nequaquam tamen ſub idem tempus dictata eſt, quo priorem per Oſium miſit ad Alexandrum & Arium, ut eſt in Annalibus, nimirum A. C. 319. neque hoc poteſt ex Epiphanio colligi. Imo longe poſtea eſſe ſcriptam, oſtendit idem.*

Ad §. 22.

Et apud Bellarminum lib. 2. de Baptiſmo c. 3. Arianorum hic quidem mentio expreſſe non fit, ſed hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium, qui ſi baptizati fuerint in nomine Patris &c.

Ferdinandus de Mendoza lib. 1. de Confirmando Concilio Illiberitano c. 2. Probaturus Ferdinandus de Mend. Concilium Illiberitanum temporis antiquitate præſtare non ſolum Nicæno, ſed & Arelatenſi primo; ideoque non

non poſteriori, ut in Collectionibus Conciliorum ſolet, ſed priori loco conſtitui debere, probandum ſibi ante omnia eſſe putat, Arelatenſe 1. aliquot annos ante Nicænum fuiſſe, hoc vero probat exinde, quod Concilium Arelatenſe 2. ad cauſam Cæciliani & Donati definiendam coactum fuerit, & quod cauſa ea poſt Concilium hoc iterum definita fuerit a Conſtantino M. (ad quem Donatus a Concilio appellaverat) anno Domini 316. Fuiſſe vero Arelatenſe I. coactum ad Cauſam Cæciliani & Donati Afrorum, confirmat ex ejus Can. 8. quippe in quo de Afris agatur; *Sic enim*, inquit, *legi debet, ut in vetuſtis & emendatis codicibus, non Arianis, ut perperam in communibus, & in Decreto Gratiani, non antiquo tantum, ſed in recentiori Gregoriano legitur, quod emendandum eſt. Nam quamvis Ariani rebaptizationes* (quas Canon dictus rejicit) *admiſerint -- tempore Concilii Arelatenſis Arii hæreſis non modo in Galliam ſed nec Alexandriæ, in qua orta primum eſt, agnoſci potuit, ne dum coerceri & puniri.* Cæterum opus Ferdinandi de Mendoza de Concilio Illiberitano Confirmando, tribus libris Clementi VIII. nuncupatis, diſtributum, etiam Philippus Labbeus Tomo I. Conciliorum ſuorum inſeruit. Eosdem Mendozæ libros, ſimul cum variorum ad hoc Concilium notis, & ſuis ipſius Commentariis iterum edidit Emmanuel Gundiſalvius Tellezius Lugduni A. 1665. Noviſſime norum omnium in Concilium Eliberinum Commentariis & ſcholiis, in Collectione Maxima Conciliorum Hiſpaniæ Romæ nuper edita, Cardinalis Aguirre, Obſervationes & Diſſertationes acceſſerunt. Cum autem Baſnagius in Exercit. Critic. p. 657. Mendozam illum, qui Concilium Eliberinum illuſtravit, Franciſcum Mendozam Garſiam appellat, Ferdinandum Mendozam non ſolum cum Franciſco Mendoza, ſed etiam cum Garſia Loaiſa, qui A. C. 1593. Collectionem Conciliorum Hiſpaniæ Madriti publicavit, perperam confudit. Errori occaſionem Larroquanus dedit, qui cum in Adverſ. p. 73. dicat: viri clariſſimi Franciſcus Mendoza, Garſias &c. Baſnagius non ſolum errorem Larroquani in prænomine Mendozæ retinuit, ſed alium etiam addidit, dum diſtinctione neglecta Mendozam etiam Garſiam appellari putavit.

Meditatus quoque fuit Eliberini Concilii editionem Salmaſius, cujus rei in epiſtolis Salmaſianis, Grotianis & Voſſianis non infrequens mentio occurrit. Verum iſtæ Salmaſii lucubrationes lucem publicam nondum adſpexerunt.

Verum Romanum hoc Concilium plane fictitium eſſe, probant Schelſtratenus

nus &c. Quod obſervandum contra cæteros Pontificios, qui pro ſtabilienda Romani Pontificis poteſtate hoc concilium allegare ſolent. Conferatur Dorſcheus de Tunica Inconſutili §. 41. ſeq. Rationes vero, quibus inducti Launojus aliique ſuppoſitum hoc Concilium fuiſſe judicant, ſunt, quod in Epilogo de Geſtis Sylveſtri excerpto, qui huic concilio præfigitur, Photinus per Concilium Nicænum damnatus dicatur: quod in Canone 3. ſtatuatur, a minori majorem accuſari non poſſe: quod Regum mentio fiat, quos tamen Roma tum non habuit: quod Dionyſius Exiguus hujus Concilii canones omiſerit: quod falſo Conſules citentur: quod inuſitato modo mulier Helena ſubſcripſerit: quod Hincmarus jam olim in epiſt. 7. agnoverit, hos canones antiquis canonibus adverſari.

Ad §. 23.

E quibus tantum 318. veram de Chriſti divinitate ſententiam defendiſſe ſcribit. E numero 2048. vel 2348. tantum 318. ſelectos fuiſſe, qui in Concilii adyta admiſſi fuerint, Cardinalis de Aguirre refert in Concil. Hiſp. T. 1. p. 122.

Cum 318. ſervis Abrahæ - - comparant. An myſterium in numero 318. lateat, quæri ſolet? Ambroſius id haud obſcure adſtruit, cum non ſolum ſcribit, *trecentos decem & octo, tanquam Abrahæ electos ſervos judicio, conſona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe ſubactis perfidis extuliſſe, ſibique videri hoc eſſe divinum, quod eodem numero in Conciliis fidei habeamus oraculum, quo in hiſtoria pietatis exemplum;* ſed inſuper ex numeri ejusdem Græcis notis τ & ι, & η, crucem in trecentis, Jeſu nomen in decem & octo ſacerdotibus contineri ait. Rectius id negat Petavius Dogm. Theol. lib. 1. de Trinit. c. VII. n. 8. qui & hoc improbat, quod de Nicæna Synodo verba facientes, trecentos decem & octo Patres Nicænos pro ſanctis & catholicis habeant, & communi omnes præconio celebrent, & quod Coptitæ ac Æthiopes in Confeſſione Liturgica 318. illos pro ſanctis nominent, referente Kirchero in Prod. c. 2. cum non omnes in illo conventu Epiſcoporum ſive ſancti ſive catholici fuerint: Et Paſchaſius Diaconus in Præfat. librorum de Spiritu S. ubi myſteria illa numeri duo commemorat, atque dicit: *ex hoc numero paucorum fragilitas declinavit, univerſalis tamen numeri myſterium non reſolvit.* Quod non plures convenerint, ejus rei probabiles rationes affert Nicetas lib. V. Theſ. Orth. c. 5. nempe quosdam morbo, quosdam ſenio impeditos, quasdam provincias unum tantum, vel duos, vel tres Epiſcopos habuiſſe. Quotcunque tandem, & quacunque ex cauſa non plures fuerint, hoc certum eſt, inter

Digitized by Google

ter præſentes fuiſſe præcipuos *Oſium Cordubenſem*, duos *Alexandros, Alexandrinum & Conſtantinopolitanum*, duos *Euſebios, Cæſarienſem & Nicomedienſem, Euſtathium Antiochenum, Macarium Hieroſolymitanum, Leontium Cæſarienſem, Paulinum Tyri Epiſcopum, Paphnutium, Spiridionem* aliosque, de quibus §. 24. ſeqq. Præter hos interfuerunt *Jacobus Niſibitanus*, qui urbem ſuam Niſibin, à Perſarum Rege Sapore obſeſſam, miraculoſe liberaſſe dicitur apud Theodoretum lib.2.c.30. qui & in Religioſa Patrum Hiſtoria ſtatim ſub initium ejus vitam & miracula recenſet. *Potamon Heracleenſis*, cujus memoria die 18. Maji colitur, Conf. Baronius in Martyrol. *Paulus Neocæſarienſis* Licinii rabiem expertus, & utraque manu debilitatus. Conf. Theodor. Lib. I. c. 7. eum genitalia membra igne amiſiſſe tradit Gregorius Presbyter. *Cæcilianus Carthaginenſis* Epiſcopus, quem Concilio Nicæno affuiſſe teſtantur Gelaſius Cizycenus lib. 2. de Conc. Nicæno c. 27. Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ p.333. Concilium Conſtantinopolitanum collat.5. Vid. de eo Ittigii Hiſtoria Schismatis Donatiſtarum. Theſ. 70. p. 292. *Eutychius Amaſenus*, vid. Acta Baſil. *Amphion* Epiphaniæ Ciliciæ Epiſcopus, Sozom. lib. 1. c. 10. *Nicolaus* Myræ Epiſcopus, vid. §. 38. Inter Arii fautores à Theodoreto memorantur lib. I. c. 7. p. 26 *Menophantus Epheſius, Patrophilus Scythopolitanus, Theognis Nicænus, Narciſſus, Secundus, Theonas* pluresque alii ex Philoſtorgio à Niceta relati.

Ad §. 24.

Ab Auxilio lib. I. de Ordinat. à Formoſo factis. C. 15. Idem aſſeritur à Patriarcha Alexandrino in Epiſtola ad Baſilium Regem, quæ legitur apud Ludolfum in Comment. ad Hiſtor. Æthiopic. lib. 3. c. 13. n. 132. p. 534. Sed errat Patriarcha tripliciter; primo, quod Oſium legatum Sylveſtri facit, ſecundo, quod etiam Victorem & Vicentium (Vitonem & Vincentium) Epiſcopos appellat, tertio denique, quod eos Præſides hujus Concilii conſtituit. Idem ab Aguirre aſſeritur Tom. II. Concil. Hiſp. Diſſertat. 2. Excurſ. 3. argumentum ſumente à ſubſcriptione, etiam ea, quæ apud Gelaſium habetur; ab inſcriptione epiſtolæ Hoſii, Vitonis & Vincentii ad Sylveſtrum Papam; denique à teſtimonio Photii Cod. 88. Quibus quid reſpondendum ſit, è ſeq. §. apparet.

Ad §. 25.

Cæteriſque omnibus Epiſcopis præponitur. Hanc ipſam rationem urget & Aguirre in Concil. Hiſp. T. II. p. 21. Enim vero aliam rationem ſubeſſe

potuiſſe Sanderus recte obſervat, nimirum gloriam, quam ei Confeſſio in perſecutione pepererat, quod nec Aguirre diffiteri poteſt, cum p. 22. ait: *Mirum autem non eſt, tantam apud omnes autoritatem & venerationem habuiſſe Oſium in Concilio, cum longe antea eam ſibi conciliaſſet apud omnes, poſtquam celebrato in Hiſpania celeberrimo illo Concilio Eliberitano paſſus fuerat crudelem perſecutionem, Anno 304. & tormenta pro fide Chriſti ſub Daciano Præſide &c.*

Quo loco ratiunculis pro legatione Oſii à Baronio adductis reſpondet. Ratiunculæ ſunt (1) Oſium primo loco ſubſcripſiſſe. Reſp. inde non ſequi, quod legatus Sylveſtri fuerit; accedere, quod in Arabicis Subſcriptionibus Oſius locum quadrageſimum primum occupet. (2) Epiſtolam è Concilio Nicæno Sylveſtro Papæ miſſam prænotari nomine Oſii, Victoris & Vincentii. Reſp. Epiſtolam ſuppoſitam eſſe, nec bona fide â Baronio allegatam. (3) Oſium ſubſcripſiſſe primo in Concilio Sardicenſi. Reſp. Factum id quidem eſſe, ſed independenter à Pontifice Romano. (4) a Leone aliisque Pontificibus tres legatos ad Oecumenica Concilia miſſa fuiſſe. Reſp. Non ſequi, etiam in Nicæno Concilio præter duos Presbyteros Oſium legatum fuiſſe; imo duos tantum Presbyteros miſſos fuiſſe, antiquos Scriptores aſſerere. (5) Græcos Scriptores de Oſii legatione non dubitaſſe. Reſp. Id falſum eſſe.

Sylveſtri nomine Concilio Nicæno præfuiſſe. Perperam conatur Natalis Alexander defendere hanc ſententiam ſuam. Nam antiqui Scriptores, quos allegat, non probant, quod probare debent. Nullam Epiſcopi Romani mentionem faciunt verba ex Athanaſio adducta: Gelaſius dicit, Oſium cum Vitone & Vincentio adfuiſſe nomine Epiſcopi Romani, non præfuiſſe: Socrates non dicit, quod Oſius, Vitus & Vincentius præfuerint Concilio, nec id ex eo colligi poteſt, quod primo loco nominentur: Adrianus in Epitome Canonum Oſium cum Presbyteris Apoſtolicæ Sedis legatum dicit, non Præſidem Concilii: Hincmarus Remenſis aſſerit quidem, Oſium cum Presbyteris Romanis nomine Sylveſtri præſediſſe, ſed primus eſt Hinckmarus, qui id aſſerit: Auxilius dicit eum interfuiſſe, non præfuiſſe: Gregorius VII. aſſerit id quidem, ſed ejus ratio non habenda, cum aſſertio ejus nullo fundamento nitatur: Photius ait, nomine Sylveſtri & Julii Vitonem & Vincentium præfuiſſe, quod falſum eſſe, ipſe Natalis

Digitized by Google

lis Alexander agnoſcit: Leo IX. Vitonem & Vincentium præfuiſſe dicit, ſed non probat. Concedit Natalis Alexander, quosdam ex his Autoribus non dicere, quod præfuerint, ſed tantum interfuerint; exiſtimat autem unum idemque eſſe nomine Epiſcopi Romani Concilio adeſſe, & Concilio præeſſe, quod falſum eſt: etſi Chalcedonenſi Concilio legatos ſuos præſidere voluerit Leo I. non tamen ex eo ſequitur, ſemper eos præfuiſſe Conciliis, qui Epiſcopi Romani nomine affuerunt. Etiam ea argumenta cenſuram merentur, quibus Alexander probat, neque Alexandrum, neque Euſtathium, neque Oſium eatenus, quatenus vel nominis celebritate, vel meritis enituit, vel quatenus Imperatoris partes tenuit, Concilii Nicæni Præſides fuiſſe. Occurrunt enim in his nonnulla minime probanda, etſi aliqua non male dicta fuerint.

Ad §. 26.

Qua Perronii conjectura fuit. Conjectura hæc Perronii in Præf. ad Gelaſium, & alibi, admodum infirma videtur, cum vox πόλις Poëtis tantum ſit familiaris, & apud Hiſtoricos inſolens.

Ad §. 27.

Ut Gelaſius lib. 2. cap. 5. legitur Gelaſii error etiam cap. 28. non vero 27. ut Petavius habet Dogm. Theol. T. II. L. 1. de Trinitate C. 7. n. 3. ubi errorem ridiculum vocat; ſicut in univerſum de Gelaſio parum honorifice ſcribit Petavius. Lib. IV. de Trinit. c. 1. §. 10. Autorem futilem & nullius judicii vocat, qui, ſi quid habeat veri, tanquam fucus ex alienis Scriptis corraſerit, pleraque autem prorſus inepta & abſona de ſuo contulerit. Ea tamen ſe neſcire ait, ex quibus Autorum Nicænorum commentariis domui paternæ a ſe repertis expreſſa nugetur; quæ nihilominus nonnullis impoſuerint viris cæteroqui eruditis, ut ea pro Nicænorum patrum decretis referant, quæ ab illorum uſu & mente ſint alieniſſima.

Ad §. 28.

Adducto ſecum Diacono. Inter Diaconos, qui Concilio Nic. affuerunt, præter Athanaſium & Dalmatium eſt etiam Hermogenes, quem Leontius ſecum adduxit, de quo ſuo loco. Cum autem Euſebius libro 3. de Vita Conſtant. M. c. 8. non ſolum Presbyterorum & Diaconorum, ſed etiam Acoluthorum ingentem numerum ſimul cum Epiſcopis ad Nic. Conc. confluxiſſe ſcribit, per Acoluthos non tam certum Clericorum ordinem, quam promiſcue Epiſcoporum comites & pediſſequos intelligit, ut obſervat Dorſcheus

Digitized by Google

de Conc. Nicæno Cap. 4. qui etiam nonnulla de Acoluthis ſuperaddit in Addendis, ad pag. 5.

Ad §. 29.

Teſtatur Gregorius Presbyter. Idem Gregorius Presbyter teſtatur, Leontii, quem ἰσάγγελον appellat, pretioſas reliquias, a ſe aliisque pluribus viſas, fuiſſe incorruptas, quæ nec pilos abjecerint, nec ungues amiſerint, ſed omni unguentorum fragrantia plenæ fuerint. Quantum hac in parte credendum ſit Gregorio Presbytero, aliis dijudicandum relinquo; hoc certum eſt, multa ab eo referri fabulis haud abſimilia; ut cum inter alia in Patres Nicænos beneficia refert Nicææ olei fontes per miraculum ſcaturientes circa medium apſidis, circa quam conſtiterat Sanctorum Chorus.

Ad §. 30.

At Paulinum Tyri - - ante Concilium Nicænum obiiſſe, cenſet Godofredus. Dicit quidem Theodoretus, quod affuerint Concilio Nicæno ex Arianis pauci, quos ſupra memoraverat; ſed non dicit omnes illos paucos adfuiſſe. Dicit etiam Sozomenus, Euſtathium pulſum, quod Euſebium, Paulinum & Patrophilum averſaretur; verum non opus eſt, ut Sozomeni verba de Paulino vivente intelligamus. Sane Sozomenus c. 20. dicit, Macarium moriturum metuiſſe, ne Euſebius & Patrophilus heterodoxum aliquem in ſua ſede collocarent, nullam Paulini mentionem faciens. Theodorus Mopſveſtenus diſerte quidem tradit, Paulinum Nicæno Concilio interfuiſſe; verum Socrates & Sozomenus, cum Epiſcopos memorant, qui Ario in Concilio Nicæno faverunt, nullam Paulini mentionem faciunt, cujus etiam nomen in ſubſcriptionibus Latinis & Arabicis non reperitur. Cætera argumenta apud Hanckium videantur.

Ad §. 31.

E quorum numero Paphnutius. Paphnutius ſuperioris Thebaidos Epiſcopus fuit. Oculum ejus in perſecutione effoſſum Imperator deoſculari ſolebat. Socrat. Lib. I. c. 2. Dæmones ipſum fugaſſe ægrosque oratione curaſſe refert Rufinus Lib. I. c. 4. Paphnutium hunc Epiſcopum fuiſſe negat Combefis. Auct. Nov. T. II. p. 595. Eundem ut Meletianum ex Martyrologio expunctum cupit. Conferatur etiam Florentinus in Admonitione ad Martyrologium Hieronymi p. 51. Obſtitit, ne cœlibatus in Concilio Nicæno ſanciretur, vid. Socrates l. c. Paphnutium Theodoretus inter eos numerat, quibus dextri poplites ſuccisi fuerant.

Et

Et Spiridionem. Spiridion hic ex opilione hominum Paſtor, Trimithuntis in Cypro Epiſcopus, fures ad meliora hortatus abſolvit, & arietem illis donavit; filium reſuſcitavit, ut poſſet indicare, ubi depoſitum recondiderat, Socrat. lib. I. c. 12. In jejunio quadrageſimali hoſpiti ſuillas carnes appoſuit, addita ratione: quod mundis omnia munda. Sozom. lib. I. c. 11.

Ut refertur à Galano. Tom. I. c. 3. p. 41.

In Commentario ad Eutychii Origines Alexandrinas p. 117. & ſeq. ſuſpicatur hoc loco Seldenus, Reſtitutum, Epiſcopum Londinenſem, qui etiam Arelatenſi & Sardicenſi affuit, & præter eum forte plures affuiſſe Epiſcopos.

Ubi eadem illa nomina iterum leguntur. Perſtringitur Labbeus hoc nomine a Noriſio in Diſſert. 4. p. 372. Conf. Cardin. de Aguirre Concil. Hiſp. T. II. p. 21. Dicitur enim inter alios ſubſcripſiſſe Theopemptus, Epiſcopus Juſtinianopolitarum, ſive Mokiſenorum metropoleos ſecundæ Cappadocum provinciæ; cum Juſtinianopolis 230. circiter annis poſt Concilium Nicænum ſub Juſtiniano Imperatore metropolitica jura demum impetraverit.

Vid. Raynaudus T. IIX. p. 242. Conferatur etiam Socrates lib. II. c. 41. ubi refert Theophilum Nicæno Concilio præſentem ſubſcripſiſſe. Falſum ergo eſt, cum Sandius eum Concilio ſubſcripſiſſe negat, ejusque rei teſtem Socratem allegat.

Ad §. 32.

Papæ Romani legatis autoritatem illam tribuit. Idem hoc facit Cardinalis de Aguirre T. II. Conc. Hiſp. p. 21.

Etiam Balduinus in Præfatione ad Optatum perſtringit. Calvini ſententia neque ulla autoritate, neque probabili aliqua ratione nititur, imo Diaconum ſuo Epiſcopo Alexandro aliisque Epiſcopis præſediſſe, non ſine abſurditate ſcribitur.

Secundam autem ſententiam veriſimilem. Sententiæ Lutheri & Magdeburgenſium favet Theodoretus lib. I. c. 7. ubi hunc Euſtathium Oratione quadam Concilium Nicænum quaſi aperuiſſe dicit. Verum cum Euſebius lib. III. c. 11. nomen Epiſcopi, qui Oratione quadam Concilium auſpicatus eſt, & in dextra parte primum locum tenuit, non expreſſerit, & Theodorus Mopſveſtenus apud Nicetam in Theſauro lib. V. c. 7. Alexandro Alexandrino, Sozomenus autem lib. I. c. 18. Euſebio Pamphili orationem illam tri-

Digitized by Google

buat (Conf. §.35. hujus Hiſt.) incertum eſt, an Euſtathius Oratione hac Concilium auſpicatus fuerit; neque ſi hoc certum eſſet, inde conſequeretur, Euſtathium Concilii Præſidem fuiſſe.

Quod etiam Dorſcheus - - probavit. Conf. Ludolfi Commentar. in Hiſt. Æthiop. lib. II. c. 9. num. 37. §. 2.

Ad § 33.

Quod autem libelli illi tantum ab Arianis ſcripti fuerint &c. Libelli illi mutuis accuſationibus referti pridie ejus diei, quam Concilii Nicæni conſeſſus fuerat, ab Epiſcopis Imperatori oblati fuerunt, qui eos, cum conveniſſent, ad concordiam hortatus, oblatos libellos comburi juſſit, addita ratione, quod ex Chriſti præcepto veniam fratri dare debeat, quisquis ſibi ipſi veniam dare velit, ut refert Socrates. Eandem hiſtoriam circumſtantiis quibusdam vel omiſſis, vel additis, commemorant, & alia verba Conſtantino tribuunt, Rufinus lib. X. c. 2. & Sozomenus lib. I. c. 17. à quibus Theodoretus lib. I. c. 2. ita diſcrepat, ut diverſam potius, quam eandem hiſtoriam referre videatur. Unde Gelaſius lib. II. c. 8. de Conc. Nic. duplicem de libellis Imperatori oblatis hiſtoriam conjungit. Inprimis autem Rufini narratio Pontificiis & ipſis Romanis Epiſcopis arriſit, ex qua dubio procul deſumpta ſunt, quæ Gregorius II. & Nicolaus I. locis in hoc §. citatis referunt, ubi & ea vide, quæ Blondellus Rufino opponit; notaque, argumentum Gandrii contra Godofredum, quia ex hac Rufini hiſtoria deſumitur, admodum infirmum eſſe. Si autem ejusmodi verba ad Epiſcopos dicta ſunt, qualia à Rufino & aliis referuntur, cum Dorſcheo in Exercit. de Conc. Nic. p. 56. dicendum erit, verba illa honoris non juris fuiſſe, quibus privata jurgia præſcindere & Epiſcopos ad ſeriam communis negotii, cujus cauſa Concilium indictum erat, tractationem diſponere voluit.

Ad §. 34.

Quo minus Concilio præſidere potuerit. Neque Launoji ſententia, qui plures Concilii Præſides fuiſſe ſtatuit, lib. VIII. Epiſt. 1. (Conf. §. 25.) licet probabilior ſit ſententiâ Bellarmini, admitti poteſt. Statuit Præſides fuiſſe Euſtathium, Alexandrum Alexandrinum, quem Patres Nicæni in epiſtola ad Alexandrinos Concilio Nicæno præfuiſſe aſſerunt, & Oſium Cordubenſem, quem Athanaſius in Apolog. de fuga ſua Synodorum Principem facit, & in Epiſtola ad Solitarios Formulam Fidei ab eo conceptam aſſerit. Verum cum Alexander à Patribus Nicænis in Epiſtola Synodica apud Theodoretum

κύριος

κύριος ſive Autor Geſtorum dicitur lib. I. c. 9. non opus eſt, verba iſta ſic interpretari, quod Concilio Nicæno præfuerit, cum aliæ ejus appellationis rationes dari poſſint, quas illa ipſa epiſtola ſubminiſtrat. Neque etiam ſequitur, Oſium quia multorum Conciliorum Princeps fuit, & Nicæni Concilii Formulam concepit, Nicæni Concilii Præſidem fuiſſe.

Ad §. 35.

Apud Surium. Eadem Oratio exhibetur à Combefiſio, Auct. Nov. Biblioth. Patrum Græcol. Tom. II. p. 555. In qua inter alia hæc dicuntur: *Πατὴρ δοξολογεῖται, υἱὸς συμπροσκυνεῖται, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καταγγέλλεται. Τριὰς ὁμοούσιος, μία θεότης ἐν τρισὶ προσώποις καὶ ὑποστάσεσι κηρύττεται, καὶ τὰ λοιπά.* In qua cum vox homouſii occurrat, quam Patres Nicæni non niſi poſt multas Diſputationes Arianorum argutiis elidendis adhibuerunt, non videtur probabile, Orationem illam, quæ in Gregorii Presbyteri Tractatu legitur, ſub initium Concilii Nicæni habitam fuiſſe. Occurrit & vox *ὑπόστασις* adhibita pro perſona, eſſentiæ contradiſtincta, quam ſignificationem Patribus Nicænis *οὐσίαν* & *ὑπόστασιν* pro Synonymis habentibus inuſitatam fuiſſe, Petavius obſervat dogmat. Fid. T. II. de Trinit. lib. IV. c. 2. p. 185. ſeqq.

Ad §. 36.

Excepit Oratio Conſtantini. Orationem illam Conſtantinus latine dixit, quam alius quis Græcè interpretatus eſt.

Longe prolixiorem exhibet Gelaſius lib. 2. c. 7. Quæ apud Gelaſium extat Oratio, prolixior quidem eſt, ſed minoris fidei; etſi fatendum ſit, apud Theodoretum lib. I. c. 7. ubi de Oratione Conſtantini agit, verba quædam occurrere, quæ in Euſebiana Conſtantini Oratione, non item in Gelaſiana deſiderantur. Gelaſianam Orationem præferendam eſſe, cenſet Gallus Anonymus p. 111.

Quam in Concilio ſuis definitionibus ſequerentur. Ita Gallus Anonymus l. c. ſtatuit, & tamen pag. 57. ſeq. refert ea, quæ huic ſententiæ plane adverſantur, conf. §. 41.

Ad §. 37.

Potuiſſet autem ex Seldeni p. 79. cognoſcere, quod — — pro rudibus & illiteratis minime habuerit. Scriptor ille vetus, qui librum ſuum prænotavit: *Συναγωγὴ καὶ ἔκθεσις τῶν ἁγίων πασῶν συνόδων*, ait p. 79. Conſtantinum juſſiſſe publico edicto omnes Epiſcopos Nicææ convenire, & conveniſſe

Pon-

Pontifices ſeu Epiſcopos 232. & Sacerdotes, & qui Monaſticam degerint vitam 86. omnes ſimul fuiſſe 318. *Patres Divinos.* & p. 89. ſpeciatim Sylveſtri & Julii legatos (ſperſvaſus enim fuit duos Pontifices legatos ſuos miſiſſe.) fuiſſe *ſcientia præclaros.*

Ad §. 38.

Tantum ex Gentilium Sententia rudes & illiterati dicuntur. Calumniari Sandium ex ipſis Petavii verbis manifeſtum eſt: nam c. VII. n. 5. hæc ſcribit Petavius: *Ad hanc* (Synod. Nic.) *Epiſcopi convenere 318. inter quos inſigni complures ſanctitate; nonnulli etiam doctrina præditi erant: quidam ſuperioribus Diocletiani & Maximini, necnon Licinii perſecutionibus, immania tormenta paſſi eorum in corporibus ſuis decoras & illuſtres notas oſtendebant. Et poſt alia: tam illuſtris conventus fama gentiles quoque Philoſophos eodem excivit; partim ſtudio novæ explorandæ religionis; partim ut diſputandi ſubtilitate ac verſutia rudes ac illiteratos homines implicatos tenerent.*

Ad §. 39.

Nicæni Concilii hiſtoriam ita format, ut omnia per vim metumque acta fuiſſe probare contendat. Rectius de Concilio Nicæno judicarunt multi antiqui Scriptores, qui, quanti Nicænum Concil. ab ipſis habitum fuerit, varia elogia, quibus ab Athanaſio, Hilario, Phæbadio, Ambroſio, Chryſoſtomo aliisque ornatur, clare demonſtrant, quos inter Athanaſius Hodeg. c. 9. hoc Concilium Spiritus S. unigenitam filiam appellat; Et Leo M. in Epiſtol. 53. (56.) ad Anatolium Epiſcopum Concilium Nicænum omnibus aliis præfert ita ſcribens: *Nulla ſibimet de multiplicatione Synodalis Congregationis Concilia blandiantur, neque 318. Epiſcopis, quantum libet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre: tanto divinitus privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus autoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum conſtitutione ſit diverſum.* Alia Concilii N. elogia collegit Godof. Hermantius in Vita S. Athanaſiii lib. II. c. 23. Ejusdem excellentiam deprædicat Cardinalis Aguirre in Theol. Anſelmi Tom. II. Diſput. 55. Sect. 2. p. 69. ſeqq. ubi Patres Nicænos vocat clariſſima Eccleſiæ lumina, doctrina præſtantes potius divina quam humana; inprimis vero id agit Cardinalis, ut doceat, Synodum Nicænam apud omnes ſequentium temporum Synodos in ſummam autoritate fuiſſe. Inſigne elogium Concilii Nicæni legitur apud Ambroſium de Fide p. 444. Tom. II. ubi etiam de numero Epiſcoporum agit.

Ad

Digitized by Google

Ad §. 40.

Quantum ſpecialiter Arii cauſam attinet, quæ in Conc. N. ante alias ventilata fuit. Quid contra Arium ejusque Complices actum decretumque fuerit, referunt Rufinus lib. X. c. 5. Socrat. lib. I. c. 8. 9. Sozom. lib. I. c. 20. 21. Theodor. lib. I. c. 7. ſeq. Sulpitius Severus lib. II. c. 50. De erroribus Arii videantur ſequentes paragraphi.

Nihil aliud enim his verbis (Athanaſii) innuitur. Scribit etiam Athanaſius l. c. de Arianis, quod cum hiſcere vix auſi eſſent, improbati fuerint. Verum eodem loco Athanaſius placidam cum iis collationem inſtitutam ſcribit. Nihil aliud ergo ſignificat Athanaſius, quam quod ipſorum dogmata, cum ea aperte proderent, ſtatim abſurda inventa fuerint. Scribit Athanaſius de Synodo, eum in finem conveniſſe Patres, ut Arium damnarent; ſed non inde ſequitur, quod inauditum damnaverint. Meminit Theodoretus clamorum & tumultuationum. Verum ſi Apoſtolicum Concilium ob Pſeudo-Apoſtolorum tumultuationes rejiciendum non eſt, etiam Nicænum non reſpuendum eſt ob tumultus ab Arianis excitatos. Teſtantur Rufinus & alii, ex metu Arianos pleroſque Concilio ſubſcripſiſſe, verum hoc non violentiam in Arianos, ſed cauſæ diffidentiam arguit.

Ad §. 41.

Conf. §. 36. & quæ ad eum in fine notata fuerunt.

Ad §. 42.

Quod in ejusdem (Euſebii Cæſarienſis) *epiſtola ad Cæſarienſes apud Theodoretum lib. I. c. 12.* Epiſtola l. c. ita incipit: quæ de fide Eccleſiaſtica in magno Concilio Nicææ congregato tractata ſunt, ea quidem veriſimile eſt, jam vos aliunde didiciſſe, fratres charisſimi - - Verum ne iſtiusmodi rumore res vobis aliter nuntietur, quam ſe habet, neceſſarium putavimus ad vos mittere, primum quidem τὴν ὑφ' ἡμῶν προτεθεῖσαν περὶ τῆς πίστεως γραφήν. ἔπειτα τὴν δευτέραν, ἣν ταῖς ἡμετέραις φωναῖς προσθήκας ἐπιβαλόντες ἐκδεδώκασι *eam fidei formulam, quæ à nobis propoſita eſt: deinde alteram, quam Epiſcopi quibusdam Appendicibus ad noſtram adjectis promulgarunt.* Pergit: τὸ μὲν οὖν παρ' ἡμῶν γράμμα ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως ἡμῶν ἀναγνωσθὲν, εὖ τε ἔχειν καὶ δοκίμως ἀποφανθὲν τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. *Noſtra igitur formula, quæ in conſpectu Imperatoris DEO chariſſimi lecta, recte ac probe omnibus viſa eſt, ſic habet &c.*

Ad §. 43.

Prima hujus Symboli Fundamenta locaverit Oſius. Oſium quoque Autorem

torem facit Baronius, quippe qui ob Symboli hujus compoſitionem ab Arianis reprehenſus dicatur apud Athanaſium ad Solit. p. 837. Poſſunt tamen verba illa etiam de Expoſitione Symboli intelligi, ut notat Dorſcheus p. 59.

Quem Baſilius M. epiſtola 319. Symboli Nicæni autorem facere videtur. Similiter Combefiſius Auct. Nov. Part. II. p. 571. & in Notis ad Origines Conſtantinopolitanas p. 146. nixus autoritate Baſilii, Hermogenem Autorem facit. Verum etſi Baſilius p. 319. Formulam Nicænam ab Hermogene ſcriptam, & in Epiſt. 82. pronunciatam aſſerat, Baſilius tamen ita explicari poteſt, quod Hermogenes, qui cum Leontio Epiſcopo ſuo ad Concilium venit, Symbolum à Patribus conditum Notarii alicujus inſtar literis conſignaverit, & poſtea clara voce recitaverit.

Ad §. 44.

Quid ſtatuendum ſit de Obſervatione Baronii - - quod Symbolum N. ſine diei & Conſulum nota editum fuerit. Baronius putat, ideo nec Conſulem, nec Menſem, nec diem addi Symbolo Nicæno, quod ea non eſſet recentis fidei conſtitutio, ſed ut Patres profiterentur, eandem ſemper in Eccleſia viguiſſe, nec à ſe, ſed ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam. Sed reſpondet Dorſcheus, obſervationem hanc ſolidam & momentoſam non eſſe; ſi enim univerſis Concilii Actis ſubſcribi poſſint Conſules, dies, menſis, cur non etiam Concilii Symbolo, quod licet novũ non ſit materialiter, novum tamen eſſe ratione formæ; potius ideo Symbolis non adſcriptos fuiſſe Conſules, diem & menſem conjicit, quia non edita fuerint ſeparatim; neque enim moris fuiſſe, Symbola ſeparatim à Conciliis evulgari.

Videantur præterea de Symbolo Nicæno. De Symbolo N. nonnulla etiam obſervavit Uſſerius Diatriba de Symbol. Roman. Veter. & Heidegger. Diſſert. 17. Cur Euſebius non modo non Symbolum, ſed ne Concilium quidem Nicænum memoraverit in Hiſt. Eccleſiaſtica, nempe ne Epiſcoporum jurgia & contentiones exponere cogeretur, notat Valeſius Præf. ad Hiſt. Eccl. Euſeb. Præſupponit enim Valeſius hoc opus aliquot poſt Concil. Nic. annis abſolutum fuiſſe Contra Hanckius ante Conc. N. editum aſſerit. Ab utroque diſcedit Pagi, qui proximo poſt Conc. N. anno public. ſcribit.

Ad §. 45.

Nicænis Patribus tribuitur. Nicænis Patribus hoc Symbolum tribuit Valeſius in Notis ad Euſeb. p. 157.

Antiochenis tribuitur. Antiochenis Patribus tribuit Epheſinum Symbo-

bolum,quod in Actis Concilii legitur,etiam Forbeſius p. 10. Korthol't p. 81. Baier. Diſp. de Paulo Samoſ. c. 4. Theſ. 45. ſeq. qui negat,ex Athanaſio probari poſſe,quod vox homouſii,quæ aliquoties in hocSymbolo legitur,à Patribus Antiochenis repudiata fuerit. Verum tamen etſi concedamus, eum Athanaſii ſenſum eſſe, quem vult Baierus,certum tamen eſt, etiam Hilarium de Synod. c.86. Baſilium Epiſt. 300. & Orientales in Epiſt.Sirmium delata,apud eundem l. c. c. 81. aſſerere,quod vox homouſii in Concilio Antiocheno adverſus Samoſatenum rejecta fuerit. Et Orientales quidem apud Hilarium propterea repudiatam hanc vocem dicunt,quod Samoſatenus per hanc vocem unicam Patris & Filii perſonam prædicaverit. Baſilius autem propterea repudiatam tradit,quod Samoſatenus ex ea conſequi cavillaretur,eſſe ſubſtantiam aliquam Patre & Filio priorem, quam uterque inter ſe partiti fuerint. Conferatur de hoc Symbolo etiam Hermantius lib. II. de Vita Athanaſii c. 13. qui probabilius Nicænum,quam Antiochenum dici aſſerit, etſi non diffiteatur, etiam probabile videri, quod hoc Symbolum poſt Concilium Nicænum contra Neſtorianos & Eutychianos alicubi conditum fuerit. Symbolum vulgo Athanaſianum dictum a nonnullis falſo ad Concilium Nicænum relatum fuiſſe,obſervat Petavius de Trinitate lib. IV. c. 13. Uſſerius in Epiſtola ad Voſſium aliique.

Le Moyne p. 257. ſimiliter Antiocheno Concilio Symbolum illud tribuit. Le Moyne in Variis Sacris,ſeu Sylloge Variorum Opuſculorum Græcorum ad rem Eccleſiaſticam ſpectantium, Lugduni Batav. 1685. excuſa, Tom. II. i. e. in Notis ad Varia Sacra, non diffitetur, in Græco textu aliud quid deprehendi, nec ibi Symbolum Antiochenis Patribus tribui, ſed Nicænis, cum titulus ita ſe habeat: Περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου τοῦ υἱοῦ πατρὸς, ὅροι τῶν Ἐπισκόπων ἐν Νικαίᾳ συναχθέντων ἐν τῇ συνόδῳ. Et porro: Ἔκθεσις τῆς αὐτῆς συνόδου πρὸς Παῦλον Σαμοσατέας. Putat vero in Græcum textum errorem irrepſiſſe,& pro ἐν Νικαίᾳ legendum ἐν Ἀντιοχείᾳ. Ratio ejus hæc eſt, quod Patres Nicæni non potuerint dare Symbolum Fidei ad Paulum Samoſatenum, qui jam rebus humanis ereptus fuerit.

Ad §. 46.

Petavius lib. 4. c. 2. n. 13. Petavius taxat in Ambroſio, quod probaturus nomen οὐσίας in ſacris literis non deeſſe, alleget ex cap. VI. Matth. vocem ἐπιούσιον. & ex Exod. 19. verba Moſis: ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος. Porro quod vocem οὐσίας idem eſſe ſcribat ac οὖσα ἀεί. Quam interpretationem etiam Dallæus de Uſu Patrum l. c. carpit.

Ad §. 47.

In Lutherum, quod ſe homouſii vocem odiſſe dixerit. Conf. Raynaudus Tom. XII. p. 428. Cæterum non de re, ſed de vocabulo ſe loqui indicat ſatis Lutherus.

De abolenda homouſii voce. Forte dicere voluit de vocabulo hypoſtaſeos, in quo veneni aliquid latere dicit Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum.

Quo reſpectu Origenes - - explicat le Moyne. Negavit Origenes reſpectu Marcionitarum ſomniantium præter alia, animas rationales eſſe quaſi ἀπορῤοίας & emanationes ab ipſa ſubſtantia divina, ejusdem cum DEO naturæ, illique coeſſentiales; quæ poſt hominis interitum, ad principium & fontem ſuum reverterentur, & in Oceano eſſentiæ divinæ confunderentur. Quod delirium Catholici tolerare non potuerunt, iſtam animarum & eſſentiæ divinæ unionem penitus repudiantes, animasque DEO coeſſentiales negantes. Et hoc reſpectu negavit etiam Origenes, dari in DEO aliquid ὁμοούσιον, i. e. negavit animas eſſe DEO ὁμοουσίας; Filium vero eſſe Patri ὁμοούσιον, non negavit. Qua data expoſitione, non opus eſt cum Genebrardo ſolicitare Origenis locum, quaſi error irrepſiſſet, & non legendum foret ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον, ſic ut videatur Origenes non negaſſe, dari aliquid DEO ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον.

Vocem homouſii etiam in nonnullis fidei Confeſſionibus Orthodoxos - - omiſiſſe, notarunt Schelſtratenus. Schelſtratenus in Vindiciis p. 109. e Petavio in Annotationibus ad hæreſin 72. Marcellianorum, obſervat, non ſemper in Catholicæ Fidei Profesſionibus, aut in convincendis hæreticis, recenti adhuc Nicæno Concilio, teſſeram illam Fidei ac τῆ ὁμοουσίας claram & diſertam confesſionem exactam fuiſſe; exemplo eſſe Urſacii & Valentis libellum, Apologiam 2. apud Athanaſium, Concilium Aquilejenſe, Athanaſii Symbolum &c. Schelſtrateno addi poteſt Marcus Epheſius in Concilio Florentino, qui Seſſ. 5. p. 91. ait, poſt factam à prima Synodo Nicæna Fidei Expoſitionem, tranſactis non paucis annis usque ad Secundam Nicænam, medio illo tempore, diverſis in locis a provincialibus Conciliis factas eſſe ſupra 30. Expoſitiones; in quibus ſublata fuerit illa vox conſubſtantialis (ὁμοούσιος) qua multi offenſi fuerint. Quamvis id de Arianis potisſimum Confesſionibus intelligendum ſit. Addi his poterit Caſaubonus Exercit. 15. num. 43. ubi Orthodoxos ſibi interdum ab iſto vocabulo ob infirmiores temperaſſe ſcribit.

Ad

Ad §. 48.

Et antequam gigneretur, non erat. Quomodo verba Symboli Nicæni in anathemate: *priusquam gigneretur, non erat,* intelligi debeant, explicat. Bullus p. 378.

Ad §. 49.

Quæ ex Arii Thalia excerpſit Athanaſius. Σκώμματα Arii, quæ Athanaſius ex ejus Θαλεία in Oratione 2. contra Arianos p. 310. ſeq. collegit, ex Nannii verſione ſunt: *Non ſemper Deus erat Pater ſed fuit, quando Deus ſolum erat, & Pater nondum erat: poſterius factus eſt Pater: Non ſemper fuit Filius: ipſum Dei verbum ex nihilo factum eſt. Cum omnia ex non entibus extiterint, & in univerſum nihil ſint, niſi creaturæ & opera, reſtat igitur, ipſum quoque Dei verbum ex non entibus factum eſſe: & fuit, quando non erat: neque erat, antequam fieret, ſed exordium, ut crearetur, etiam ipſum habuit. Erat enim, ſolum Deus, nec dum erat verbum & ſapientia: deinde cum vellet Deus nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum, Sapientiam & Filium appellavit, ut per ejus operam nos architectaretur.* Et de Synodis Arimini & Seleuciæ *p. 883. ſeq. Deus ſuum Filium condidit, & Filium initium creaturarum fecit, ipſe minime initiatus: ipſe Filium adoptavit ſibi pro ratione, ſed tamen ſuæ ſubſtantiæ proprium Filium non habet: Deus creaturis, & ipſi Filio inviſibilis eſt. Trinitas eſt, ſed majeſtate non pari: altera ſubſtantia altera glorioſior eſt, &c.*

Ad §. 50.

Et Sandius p. 146. ſui Nuclei adducit. Qui præter Auguſtinum & Proſperum Spiritus S. Deitatem ab Ario impugnatam affirmant, ſunt Damaſus in Epiſtola Synodica ad Paulinum Theſſalonic. Leo Serm. 4. in Nat. Dom. Ambroſius Symb. c. 2. Epiphanius hæreſ. 62. 69. Proſper Aquitanicus in Chronico. Rufinus Beda de Tempore c. 65. Lyranus in cap. 8. Apocalypſ. & ipſe Arius in Diſputatione cum Athanaſio, de qua vero quid judicandum ſit, ſupra actum fuit. Ex recentioribus Petavius Trinit. lib. I. c. 8. §. 2. Alfonſus a Caſtro lib. V. adverſ. Hæreſ.

Ad §. 51.

Ut Patri per Filium in Sp. S. gratias agerent. Conf. Raynaudus Tom. XV. Oper. p. 19. ſeq.

Illud autem, quod ſub Julio celebratum dicitur - - ſuppoſititium eſſe cenſet. Cum Sirmondo conſentit Antonius in Bibliotheca Hiſpan. Veter. lib. II. c. 6. p. 142. Contra Petrus de la Lande in Supplemento Conciliorum Gal-

Digitized by Google

liæ p. 3. non dubitat, quin omnino etiam quarto ſeculo Concilium aliquod Vaſenſe habitum fuerit, motus inprimis autoritate Adonis in ſuo Chronico ſcribentis, Tom. 16. B.B. P.P. p. 793. quod Nectarius Viennenſis Epiſcopus, qui Vaſenſi Concilio interfuit, Patris, Filii & Sp. S. unam naturam, poteſtatem, Deitatem & virtutem eſſe in Eccleſia publice prædicaverit & docuerit. Et hanc ſententiam Petri de la Lande ſequutus etiam eſt Larroquanus, qui dum in Diſſertatione de Liberio aſſerit, Phæbadii lib. contra Arianos nihil aliud eſſe, quam epiſtolam Synodicam, Concilii Vaſenſis nomine ſcriptam, dubio procul hanc ſententiam ex Petro de la Lande deſumpſit. Verum etſi in Concilio aliquo Gallicano Oſii & Potamii blaſphemia confutata fuerit, & Phæbadii liber, in quo eadem illa blaſphemia ſeu ſecunda Sirmienſis Formula discutitur, inſtar Synodicæ Epiſtolæ ex illo Concilio ſcriptæ, eſſe poſſit, Adonis tamen verba non ſufficiunt, ut probari poſſit, vel Concilium illud Vaſenſe fuiſſe, vel revera Phæbadii librum contra Arianos Concilii Vaſenſis nomine editum fuiſſe.

Ad §. 52.

Hiſtoria de Rege Geiſerico & Sebaſtiano apud Victorem Uticenſem. Victoris Vitenſis & Vigilii Tapſenſis, provinciæ Bizacenæ Epiſcoporum, Opera conjunctim cum Notis Petri Franciſci Chiffletii Divione 1664 in 4. prodierunt. Victoris quinti ſec. Scriptoris Op9, quinq; libris conſtans, inſcribitur communiter Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ. Quem titulũ cum haud ſatis diſtincte conceptum Chiffletius opinaretur, e Codice M. Cartuſiæ Portarum alium, *Hiſtoriam* ſc. *Perſecutionis Africanæ* ſubſtituere maluit in Notis pag. 1.

Ad §. 53.

Hunc Apollinaris errorem. Licet antiqui non raro caput hujus erroris, nimirum a Filio Dei corpus tantum aſſumptum fuiſſe, non animam, Apollinari tribuant, utriusque tamen diſpar ratio eſt. Nam Appollinaris non ἄψυχον penitus, i. e. inanimum Chriſti corpus fuiſſe, ſed ἄνουν, i. e. expers mentis. Quod vero nihilominus id, quod Arii proprium erat, in Apollinarem tranſtulerint, factum eſt partim, quia non magno intervallo diſtare videbantur; partim, quia Apollinaris ſententiam mutavit, & cum initio animam integram negaret in Chriſti carne fuiſſe, poſtea ſolam ei mentem ſive principalem illius partem detraxit, quas rationes Petavius adfert, Dogmat. Theol. Tr. de Incarn. Lib. I. c. 5. Conf. etiam c. 6.

Ad

Digitized by Google

Ad §. 54.

Et aliis Scriptis Arianis. Vigilius Tapſenſis præter Dialogos Athanaſio, Ario, Probo &c. interlocutoribus, contra Arianos ſcripſit XII. libros de Trinitate: de Unitate Trinitatis contra Felicianum Arianum: libros tres contra Marivadum, Arianum Diaconum: libros duos contra Palladium Arianum: Fidem Nicænam adverſus Arianos: Solutiones Objectionum Arianorum. Quo ordine ſe invicem excipere debeant libri illi, Chiffletius in Notis p. 71. ſeq. exponit; ubi & indubitatos ejus libros a dubiis ſecernit.

Ad §. 55.

De numero - - non conſentiunt. Socrates refert 5. Epiſcopos, qui noluerint Fidei Nicænæ ſubſcribere; contra Sozomenus hos approbaſſe Nicænam Fidem aſſerit. Ita forte conciliari duumviri iſti poſſunt, ut dicamus, quinque fuiſſe, qui primo non approbarint Fidem N. ſed poſtea metu exilii retractarint, præter Secundum & Theonam.

Ad §. 56.

Fauſtinus & Marcellinus in Libello Precum p. 45.6. Fauſtini Presbyteri, Scriptoris Seculi Quarti, & Fidei Orthodoxæ adverſus Arianos Vindicis acerrimi, Opera prodierunt Oxoniæ e Theatro Scheld. 1678. in 8. Conſtant *primo* Fide Theodoſio miſſa, quæ in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ per Quesnellium edita, ab Hommey vero in Supplemento Patrum ſub Ambroſii nomine vulgata eſt: *ſecundo* Libello Precum ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium & Arcadium hoc titulo: *Marcellini & Fauſtini Presbyterorum Partis Urſini adverſus Damaſum Libellus Precum &c. Tertio* Fauſtini libro de Trinitate, ſive de Fide adverſus Arianos, qui aliquoties etiam ſub Gregorii Bætici nomine vulgatus, in Bibliothecis Patrum & in Monumentis Orthodoxographis pridem prodiit. A Sirmondo primum editum fuiſſe Sagittarius in ſua Introductione p. 555. falſo ſibi & aliis perſvaſit. Sirmondus enim nec hunc librum de Trinitate, neque omnia Fauſtini Opuſcula, quod Cave aſſerere videtur in Hiſt. Lit. p. 231. ſed tantum Fauſtini & Marcellini Libellum Precum edidit. Fauſtinus ille in Libello Precum mortem Arii pathetice depingit: Arius, inquit, dedit pœnas novas & graviſſimas, usque ad turpem interitum. Nam cum pridie, quam ſe putavit, Sanctam Eccleſiam Imperatoris auxilio homo impius intraturum, cum nihil langworis, nihil doloris in corpore pateretur, ſed quod gravius eſt, ſolo animi morbo inſanabiliter ægrotaret, humana conſvetudine ſeceſſum petiit, atque illic cum ſederet, graviſſimo repente

pente dolore cruciatus omnia ſua viſcera & ipſum cor, quod erat theſaurus impietatis, effudit in ſtercora, atque ita mirabile dictu, internis omnibus evacuatis attenuatus eſt, & ad momentum ſicut luridati corporis tabe reſolutus eſt, ut per anguſtias foraminis & ſedilis totus ipſe laberetur. Digna hæc pœna impio, digna hæc mors turpis peſtifero hæretico, atque de ſpiritu Diaboli fœtidiſſimis membris digna hæc ſepultura &c.

Ad §. 57.

Apud Socratem lib. 1. c. 9. Conf. Theodor. lib. 1. c. 9.

Erat Dominica. Indignum dicit Imperator, ut feſtivitas, a qua ſpem immortalitatis accepimus, diverſo tempore celebretur: indignum, quod Chriſtiani in hoc Feſto celebrando Judæos ſequantur: inconveniens eodem tempore alios Chriſtianos jejunare, alios convivia parare.

Quartodecimani dicti ſunt. Num Johannes Apoſtolus & Evangeliſta Quartodecimanus fuerit, Raynaudus diſquirit Tom. 8. p. 209.

Ad §. 58.

A Leone expreſſum eſt. Neque Leo, neque forte Theophilus Alexandrinus Epiſc. quod ſibi Cardinalis Aguirre Conc. Hiſp. T. I. p. 121. perſuaderi patitur ab Iſidoro, in Epiſtolis Paſchalibus ſtatutum illud expreſſit.

Quin magnæ difficultates relictæ fuerint. Quicquid ſit de iſtis difficultatibus, illud certum eſt, poſt Concilium Nicænum pleraſque Eccleſias Paſcha die Dominica celebraſſe, etſi mos Paſcha cum Judæis celebrandi non plane ubique ceſſaverit. Sane Autor Orationis in Dominicam Reſurrectionem, quæ Gregorio Nyſſeno tribuitur, & a Combefiſio in Auct. Novo. Bibl. Patr. T. I. Heſychio Presbytero Hieroſolymitano vindicatur, ſignificat, ſe in cultu diei decimæ quartæ a Judæis non differre, præterquam in azymis, quorum religionem Eccleſia non receperit. Et Chryſoſtomus nonnullis in locis indicat, vix ſua ætate populos quoſdam ritum illum Paſchæ dedidiciſſe, ut obſervat Combef. in Notis ad Auct. Nov. Tom. I. p. 777. Non vero æque certum eſt, modo non plane fictum, Decretum, a Patribus N. de tempore Feſti Paſchalis factum, variis miraculis poſtea confirmatum fuiſſe, quod ex Caſſiodori libro VIII. Variar. epiſt. 33. Adonis Martyrol. d. 12. Cal. Maji, Gregorio Turonenſi lib. I. de Gloria Mart. c. 24. Paſchaſii Lilybæi Epiſtola, quæ inter Leonis Epiſtolas legitur, & Sigeberti Chronico ad annum 573. probat Florentinius in Admonit. ad Martyrol. Hieronymi p. 54.

Ad

Digitized by Google

Ad §. 59.

In Concilio Arelatenſi A. 314. De Concilio hoc Arelatenſi prolixe agit B. Ittigius in Hiſtoria Schiſmatis Donatiſtarum, theſ. 36. ſeqq.

Autore Eclogarum Chronologicarum Lib. III c. 2. Putavit Auctor Eclogarum Chronologicarum, nullum Epiſcopum Alexandrinum nomine Alexandrum fuiſſe inter eos, qui ab Euſebio & Hieronymo memorantur. Verum id falſum eſt, cum Euſebius in Chronico Alexandri Alexandrini mentionem faciat. Creſcentius autem, quem Alexandro Epiphanius adjungit, Africanus Epiſcopus fuit, & inter eos nominatur, ad quos Imperator de conſtruendis Eccleſiis ſcripſit.

Refutatur à Bajero in Diſſert. de Conc. Nic. Integritate, theſ. 96. Obſervat hic Bajerus, morem die Dominica Feſtum Paſchale celebrandi non cœpiſſe in Concilio Nicæno, nec minus antiquum quam alterum; nullam Conſtitutionem Apoſtolicam à Patribus Nicænis violatam; Bovium Apoſtolicam illam Conſtitutionem rejicere; non tempus celebrandi Paſchatis mutatum, ſed diſſidium ſublatum; probari non poſſe ex odio Judæorum ad Chriſtianam fidem converſorum tale decretum factum fuiſſe; Conſtantinum in ſua epiſtola de converſis Judæis non agere.

Ad §. 60.

De Meletio & Meletianis, quid in Concilio Nicæno definitum. Jam ante Concilium Nicænum in Concilio Alexandriæ celebrato A. 305. Meletius hic, Lycopoleos in Thebaide Epiſcopus, eo quod præter alia varia crimina, quorum reus peragebatur, idolis ſacrificaverat, loco ſuo motus fuerat, vid. Athanaſius in Apologia 2. p. 777. & conf. Juſtelli Bibliotheca Canonica T. II. p. 1173. In Nicæno vero Concilio, cum Meletius hæreſeos hujus reus haud eſſet, poſt triſtem in Arium ſententiam, clementius cum Meletianis agendum Nicæni Patres cenſuerunt; præſertim cum inter Meletianos quidam eſſent ſanctitate conſpicui, ut Paphnutius; ſpectandumque bonum pacis, ut membra divulſa iterum cohærerent; Epiſcopos & Clericos à Meletio ordinatos ſanctiore ordinatione confirmandos, functiones iis concedendas; jure tamen ſuffragiorum in electionibus privandos eſſe, conſtituerunt prudenti conſilio, ne forte aliquem ſuæ ſectæ ad officia Eccleſiaſtica clanculum promoverent. Meletium vero autorem ſchiſmatis durius tractandum judicarunt, quippe cui ſolum Epiſcopi nomen reliquerunt.

Quid cum Aceſio Novatianorum Epiſcopo egerit Conſtantinus, recenſet Socrates & Sozomenus. Conſtantinus rogabat Aceſium, num Fidei Nicænæ &

Digitized by Google

Decreto de Paſcha ſubſcribere velit? Aceſius annuit. Rogabat ulterius, cur ſe a communione ſepararet? tum Aceſius recenſuit res ſub Decio geſtas, ſubjunxitque, lapſos non a Sacerdote, ſed a Deo remiſſionem peccatorum expectare debere, & ad pœnitentiam quidem invitari, ſed ad communionem recipi non oportere. Tum Imperator: ergo ſcalam cælo admove & ſolus aſcende.

Verum Valeſio tota hæc narratio ſuſpecta eſt. Valeſii rationes ſunt, quod Socrates nullum teſtem adferat; quod non definiat, ubi Aceſius fuerit Epiſcopus; quod Epiſcopi hæretici ad Concilia non vocentur; quod oportuerit Auxamonem Presbyterum, Socrati hæc narrantem, centenario majorem fuiſſe.

Cum Photini hæreſis Concil. Nic. tempore nondum innotuerit. Equidem Danæus in Notis ad Auguſtinum de Hæreſ. Photinianam hæreſin hoc nomine etiam ante Nicænam Synodum cognitam fuiſſe ſtatuit; ſiquidem teſte Rufino in ea mentio facta illius fuerit. Et ſane negari nequit, Rufinum Canones Nicænos recenſentem ſcribere, inter eos fuiſſe etiam hunc, ut Pauliniániſtæ, qui ſunt Photiniani, rebaptizentur. Verum iſta Pauliniániſtarum per Photinianos explicatio Rufini additamentum eſt, nec Nicæni Concilii Patres autores agnoſcit, ut aliæ Nicænorum Canonum editiones clare oſtendunt. Hæc aliaque huc facientia vid. in B. Autoris Hiſtoria Photini §. 18. ſeq. & 22. ſq. Photinum in Synodo Nic. damnatum aſſerit Anſelmus Havelberg. p. 222. T. XIII. Spicelegii Dacheriani.

Concilii Romani II. ſub Sylveſtro habiti. Ad differentiam Concilii Romani I. ſub Sylveſtro circa A. C. 315. habiti, æque commentitii ut ſecundum. In primo Sylveſter Judæos ad colloquium cum Chriſtianis convocatos ſuperaſſe, & cum jam convicti miraculum poſtularent, bovem à morte excitaſſe perhibetur. De qua fabella præter Sylveſtri Acta videri poterit Cedrenus in Compendio Hiſt. p. 273. ſeq. Zonaras lib. XIII. Annal. c. 2. Nicephorus lib. VII. c. 36. aliique ejus generis Scriptores. Cæterum quod ad Acta Sylveſtri attinet, ea Ratramnus perperam Euſebio adſcribit lib. IV. adverſus Græcos, ut notat Dallæus de Uſu Patrum pag. 23. 24. ubi Dialogos illos ineditos dicit. Sed nunc non amplius ſunt inediti, quippe in Dacheriano Spicilegio vulgati.

Non fuit Nicænum, ſed Arelatenſe, ut alibi probatum. Probatum id in Hiſtoria Schiſmatis Donatiſtarum, ubi oſtenditur, quod plenarium Concilium, cujus crebro apud Auguſtinum mentio fit, nec Alexandrinum ſit, nec Conſtantinopolitanum, nec Nicænum, ſed Arelatenſe, Theſ. 41. ſeqq. Oſtenditur, poſ-

Digitized by Google

poſſe Theologis Lovanienſibus, Bellarmino, Natali Alexandro atque Lupo juxta cum Rivio contendentibus, Concilium plenarium eſſe Concilium Nicænum, opponi, quod Patres Nicæni, etſi Can. 19. de Paulinianiſtarum baptiſmo aliquid decreverint, de reliquis tamen hæreticis nihil determinaverint; quod Auguſtinus plenarium ſuum Concilium lib. II. de Baptismo c. 9. transmarinum vocet, & quæ ſunt alia.

Ad §. 61.

Canones 84. ex Abrahami Ecchellenſis verſione legentium oculis ſubjicit. Canones hos 84. etiam apud Æthiopes Æthiopice, & apud Coptitas Arabicè extare, Autor eſt Ludolfus in Hiſt. Æthiop. lib. III. c. 4. n. 30. Ubi ait, habere ſe capita illorum, ex quibus appareat, eos cum Arabicis convenire. De textu vero ipſo, an conveniat in omnibus; an, & in quibus diſcrepet, nihil certi ſe determinare poſſe. Hoc ipſum repetit in Commentario in Hiſtor. Æthiop. lib. III. c. 4. n. 29. p. 300. ubi & eos ſupernumerarios atque Apocryphos vocat: & p. 282. exemplo Can. 36. alias 42. de Prælato Æthiopiæ, docet eos ſuppoſitos eſſe. Cum enim in dicto Canone ſtatuatur, Æthiopes non poſſe eligere Patriarcham, utpote quorum Prælatus ſit ſub poteſtate ejus, qui tenet ſedem Alexandriæ; oſtendit Ludolfus, demum poſt Concil. Nic. annis 4. aut 5. circiter, ab Athanaſio, qui A. 326. Epiſcopus Alexandrinus factus fuerit, primo loco creatum fuiſſe Æthiopiæ Prælatum. Conf. c. 7. n. 76. p. 442. Alias Ludolfus haud diffiteri videtur, plures Canones a Nicænis Patribus conditos fuiſſe, qui vero cum Actis perierint, vid. c. 7. n. 76. p. 442.

Verum Canones illos ex Arabico - - ſuppoſititios eſſe probant Godaldus &c. Probat idem Beveregius in Annotationibus ad Prooemia & Paraphraſin Arabicam in Canones Concilii Nicæni, p. 211. ſeq. his argumentis, quod Ægyptii, apud quos Canones iſti 80. vel 84. reperti dicuntur, tres libros Canonum Concilio Nicæno adſcribant, id quod nemo ſanæ mentis dixerit; cum recepti 20. canones, qui unum librum conſtituunt, in 80. vel 84. omnes fere contineantur, qui propterea diſtinctus ab iis liber dici nequeat: quod 84. iſti Canones ab ipſis etiam Ægyptiis in quæſtionem vocentur, ut ex inſcriptione Arabica tertii libri Canonum Joſephi Ægyptii liquet: quod Collectio Canonum apud Ægyptios & Arabes ſit ſuſpectæ Fidei, cujus rei præter alia indicium manifeſtum eſſe triginta Canones Canonibus ſic dictis Apoſtolicis aſſutos, Romanæ & Græcæ Eccleſiæ antea incognitos: quod in

dictaCollectione Johannis Antiocheni liber, in quem Nicæni Patres Fidem Orthodoxam ſcripſerint, duabus partibus conſtet, quarum una 20. Canones contineat ab omnibus receptos, altera vero 84. Canonibus conſtans, cura Melchitarum & Neſtorianorum producta ſit, ab iisdem ſc. a quibus Canonibus Apoſtolicis 50. Canones perperam affictí fuerint; quod Petrus de Marca 84. Canónes demum poſt A. C. 900. collectos fuiſſe ex eo doceat, quia Can. 37. vel potius 43. Ordinatio Metropolitani Cypri, Patriarchæ Antiocheno tribuatur; cum Leonis Philoſophi ætate iſta inſula Apoſtolico Antiochiæ throno non ſubeſſet. Et mirum profecto eſt, cur Fauſtus Naironus Maronita, linguæ Syriacæ in urbe Romæ Profeſſor, in Euoplia Fidei Catholicæ Romanæ Hiſtorico-Dogmatica, ibid. 1694. impreſſa, argumentis his Beveregii, cujus tamen Objectiones ſe refutare velle p. 311. ſeq. profitetur, ea tantum verba Beveregii, cum dicit: Canones 84. a Neſtorianis & Melchitis introductos, credulis que ſuis & ignaris ſequacibus obtruſos fuiſſe, ſibi refellenda ſumſerit. Ut vero in refellenda contraria, ita & in probanda ſua ſententia frigidus eſt Naironus. Prætendit ex ſtudio partium 84. Canones rejici; Canones hos a Patribus & Conciliis citari; apud plures Orientales populos recipi; Ariſtotelis, multosque alios libros pro deperditis habitos in Arabum ſcriniis tandem fuiſſe inventos; neceſſarium fuiſſe multos Canones conſtitui, ut regi poſſent Neophiti, Reges, Sacerdotes &c. Qui factum, ut in Evopliam ſuam Naironus fœdos nævos irrepere paſſus fuerit, v. g. (ut ex multis paucos referam) pag. 383. in medio textu, & in margine, & p. 405. l. 20. *Cathalogo*. p. 405. l. 21. *de Æthyopis*, p. 404. l. 15. *Orthodoxa*, p. 241. l. 10. *Hippodiaconi*, lectori dijudicandum relinquo.

Ad §. 62.

Septimum & octavum Canonem in duos diviſerit. Errat proinde Cardinalis de Aguirre T. I. Conc. Hiſp. p. 117. cum ait, juxta Rufini lib. 1. c. 6. viginti Canones Nicænos eſſe, Rufinus enim 22. recenſet.

Suam ſententiam vindicavit. Quid Valeſius porro repoſuerit, cum Launoji reſponſionem vidiſſet, aliaque huc ſpectantia, refert Schelſtratenus in Præf. contra Stillingfleet, fol. 111. ſeq. Conferri etiam meretur cap. V. hujus Tractatus. Cum Valeſio facit Ludolfus in Comment. Hiſt. Æthiop. L. 3. c. 7. n. 79. p. 444. perhibens Launojum indoctè ſcribere, Canonem 6. de ſummis Eccleſiarum Præſulibus, Patriarchis poſtea dictis, non agere.

Ad §. 63.

Verum Paphnutium obſtitiſſe. Paphnutii factum ſuppoſititium eſſe

ex

ex Nicæno Conc lio probare contendit Nicolaus Faber in Opuſcul. p. 96.

Demonſtrat Calixtus de Conjugio Clericorum. Calixto jungimus Tarnovium lib. 1. de Conjugio c. 7. ubi monſtrat (1.) Bellarminum à particulari colligere ita: Sozomenum reprobari ab uno, Socratem alicubi errare. Ergo illum ab omnibus reprobari, & hunc in omnibus errare. (2.) Narrationem de Paphnutio pugnare cum Epiphanio Hæreſ. 99. non abſolute verum eſſe, cum Epiphanius l. c. agnoſcat, illud interdictum non ubique obſervari. (3.) Confundi diſtincta, non prohiberi in Canone Epiſcopis &c. Conjugem, ſed concubinam, *συνείσακτον*, ut Gelaſius habet, p. 159. (4.) denique falſum eſſe, nullum ex Veteribus meminiſſe narrationis de Paphnutio, cum ex Gelaſio Cyziceno contrarium conſtet. Utrique addimus Fauſtum Naironum in Evoplia Fidei Catholico-Romanæ p. 239. ubi argumentum, quod ex Can. 3. Nicæno contra matrimonium Clericorum ſumitur, diluit ita, ut dicat, uxores Clericorum vel includi inter mulieres non ſuſpectas, cum quibus cohabitare Clericos concedat Conc. N. & conceſſiſſe etiam Ancyranũ Concil. antiquius Nicæno, in quo Diaconis optio ducendi uxores datur, & Gangrenſe Conc. quod paulo poſt Nicænum coactum fuit. Confirmat id ex Actis Conc. N. Co ici ..l: cujus Græci nondum editi, in quibus legatur Paphnutius contradixiſſe, teſte Covaruvia de Matrim. p. 2. §. 3. n. 1. & Eſpencæo de Contin. lib. 7. c. 4. Alphonſo Piſano, Sozomeno, Socrate, Caſſiodoro in Tripart. lib. 2. c. 14. Nicephoro l. 8. c. 19. qui non ex odio in Romanam Eccleſiam adhæc aſſerenda moveri potuerint, cum fuerint viri catholici &c. Vel intelligi Canonem tantum de Clericis, qui vidui aut cælibes fuerint. Quod primo adſtruit ex Concilii Nic. Canonibus Arabicis, quibus addit illuſtrationem ex Paraphraſi Arabica Johannis (Joſephi) Ægyptii. Deinceps Hieronymum & Epiphanium explicat ita, ac ſi dixerint, utplurimum tunc temporis Clericos fuiſſe Virgines aut continentes, non omnes. Tandemque concludit Canone 3. nequaquam prohibitas fuiſſe uxores, ſed Concilium vetuiſſe retinere Virgines, viduas, vel innuptas, quas nonnulli Clerici domi ſoliti fuerint habere, non ſobolis procreandi gratia, nec libidinis cauſa, ſed miniſterii domeſtici, vel pietatis prætextu; quatenus ob quotidianum cum hujusmodi mulieribus commercium nec Epiſcopus, nec Presbyter, neque Clericus à ſuſpicione immunes eſſent. Quem ſenſum adhuc corroborat ex voce *συνεισάκτα*, ejusque varia verſione; dum modo commanens, modo adoptiva ſoror, modo peregrina & extranea exponatur.

Ad §. 65.

12. *Commentatur Albaſpinæus.* De Canone XII. controverterunt etiam Sotus & Brentius. Cum enim Brentius ſcripſiſſet, Patres Concilii Nicæni in damnanda militia aliquid humani paſſos, ad Can. 12. Conc. Nic. digitum intendens, Sotus contendit, memorato Canone non militiam ipſam, ſed abnegationem fidei damnari; eò quod reſumere cingulum, nihil aliud notet, quam abnegare fidem. Et quamvis Brentius Tom. IIX. Oper. p. 795. interpretationem Soti mendacii arguat; quamvis etiam cum Brentio Scultetus in Medulla Patrum p. 419. aliique conſentiant; diffiteri tamen haud poſſumus, non deeſſe etiam, qui Patres Nicænos ab errore plane immunes pronunciantes de veritate interpretationis hujus non dubitent. Hos inter eſt Joſephus Ægyptius, quando, ne Nicænos hujus erroris inſimulare cogeretur, in ſua Arabica Paraphraſi Canonem plane metaphorice exponens hunc in modum inſcripſit: *de eo, qui abſtinentiam a mundo profeſſus eſt, eique renunciavit, & Monachus factus eſt; poſtea autem retroverſus religioſam vitam relinquit, & ad mundum redit.* Zonaras, qui in commentariis ad Canones, Lutet. Pariſ. 1618. vulgatis, ad Canon. 12. obſervat, illud plane certum eſſe, nemini reditum ad iſtiusmodi militiam, niſi abdicata religione, patuiſſe. Quo ſatis clare ſignificat, Patres Nicænos non ſimpliciter condemnare Chriſtianos, quod cingula repetierint, ſed quod repetentes cingula religionem Chriſtianam abjuraverint. Beveregius etiam, quando in eundem Canonem commentatur, Licinium graviſſimis perſecutionibus Chriſtianos exagitantem edictum edidiſſe, quo cautum fuerit, ut nullus militum honore militiæ ſuæ frueretur, niſi qui dæmonibus ſacrificaret, teſte Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. X. c. 8. & de Vita Conſt. lib. I. c. 54. Conf. lib. II. c. 33. Licetque poſt edictum plures militaribus ſuis dignitatibus ſpoliari maluerint, quam dæmonibus ſacrificare; nonnullos tamen easdem poſtea pecunia & beneficiis recuperare conatos fuiſſe, contraque hos edidiſſe Nicænos Patres præſentem canonem; utpote qui militares dignitates ipſi Chriſto aperte coram paganis anteponerent, nihil aliud inferre videtur, quam cingulum reſumere, idem hic eſſe, ac Fidem Chriſtianam abjurare. Hinc tandem concludit, militiam in genere in hoc canone damnatam eſſe, nunquam ſanctiſſimis Patribus in mentem veniſſe; ſed iis tantum pœnam ſtatutam, qui militares ſuas dignitates ipſi Chriſto prætulerant, & cum illis ſemel depoſiti fuiſſent, dæmonibus potius ſacrificare, quam eas non recuperare maluerint. Rationes Brentii, quibus Soti ſenten-

tentiam impugnat, nimirum adverſari eam tum rebus ipſis geſtis, tum Romanorum Pontificum Decretis, videantur l. c.

19. Commentatur Albaſpinaus. De Canone 19. conferendus eſt quoque Morinus in Commentario de Sacris Eccleſiæ ordinationibus, Antvv. 1695. excuſo, in quo Part. III. Exercit. X. de Diaconiſſis Cap. 2. §. 13. p. 148. ſeq. ex Canone dicto infert, Diaconiſſas Autoritate Concilii & ordinatas & Clero annumeratas fuiſſe.

Ad §. 66.

Inter Canones - - perditos. Inter perditos refertur etiam Canon de ſolennitate Paſchæ, vid. Card. de Aguirre in Concil. Hiſp. T. I. p. 121. & conf. quid ei in Præfat. hujus hiſtoriæ reſpondeatur. De Canone, quod prioris Concilii Acta in poſteriori ſint examinanda. Vid. id. p. 124. De Canone, quod appellatione interpoſita res in alio Concilio ſit retractanda. id. ibid. Conf. §. ſq. Hippolytus Thebanus ait, a Synodo Nicæna decretum fuiſſe, quod Presbyter ante 30. annum non debeat ordinari. Verum memoria cum lapſum notat Cotelerius ad Conſtitut. Apoſtol. p. 213. Canonem, quem Anonymus apud Ludolfum primatum Pontificis Romani aſſerturus allegat, apocryphum eſſe, notat idem Ludolfus in Comment. Hiſt. Æthiop. lib. 3. c. 4. n. 29. p. 300. l. c. 7. n. 76. p. 442. c. XI. n. 114. p. 518. De Canone Nic. juxta quem non eſſe debeant duo Epiſcopi in una Diœceſi vid. Papebrochius Propyl. p. 220.

Ad §. 67.

Quod autem Pontifices Romani non per fraudem. Minime Epiſcopi illi Romani à fraudis ſuſpicione liberari poſſunt. Eſto in uno alterove codice Canones Sardicenſes cum Nicænis cohæſiſſe, rariſſime tamen illud factum eſt. Sane cum Petrus de Marca libros de Concord. Sacerdotii & Imperii ſcriberet, nullum ejusmodi codicem noverat, ut ipſe lib. 7. c. 16. teſtatur; ubi addit Nicænos Canones ſemper in titulo prænotari ſolitos numero viginti, eaque ratione facile prohiberi potuiſſe, ne Canones Sardicenſes Nicænis annumerarentur. Præterea Zoſimo aliisque Epiſcopis Romanis ignotum eſſe non potuit, quanta differentia inter Concilium Nicænum & Sardicenſe fuerit, etſi Bellarminus lib. 2 de Rom. Pontif. c. 25. eò usque audaciæ progrediatur, ut Concilii Nicæni & Sardicenſis eandem autoritatem eſſe dicat, neque magis errare eum aſſerat, qui Nicænum Concilium pro Sardicenſi allegat, quam Matthæum Evangeliſtam, qui cap. 27. Hieremiam pro Zacha-

Digitized by Google

Zacharia allegavit, cum idem Sp. S. per utrumque Prophetam locutus fuerit, ſimilique ratione Nicænum & Sardicenſe Concilium pari autoritate gaudeant. Quæ Bellarmini Commenta ex ipſis pontificiis confutat Edmundus Richerius lib. I. de Conciliis c. 3. ubi inter alia docet, Synodum Sardicenſem nunquam pro Appendice Concilii Nicæni, aut pro Oecumenica Synodo habitam, neque Canones Sardicenſes ejusdem cum Nicænis Autoritatis fuiſſe. Conferatur etiam ex Reformatis Voetius de Deſper. Cauſ. Pap. p. 202.

Ad §. 68.

Canonibus Concilii Nicæni Diatypoſes. Diatypoſes iſtæ non minus Patribus Nicænis ſuppoſitæ videntur, quam Philoſophorum Diſputationes, quas in hoc Concilio factas idem Gelaſius memorat, etſi nonnulla memoratu non indigna in illis Diatypoſibus reperiantur.

Ad §. 69.

Fontidonius in Apologia. Titulus Apologiæ hujus eſt: Petri Fontidonii D. Theologi pro Sacro & Oecumenico Concilio Tridentino adverſus Johannem Fabricium Montanum, ad Germanos Oratio. Apologiæ titulo inſignitur in editione Antwerpienſi Plantiniana A. 1574. vulgata.

Launojus Parte I. epiſt. IIX. p. 78. Notat Launojus, ſilere de Confirmatione iſta omnes Scriptores utriusque Imperii: ſilere Codices omnes Canonum: epiſtolæ inſcriptionem præ ſe ferre, ad Nicæn. Concil. conveniſſe Epiſcopos 320. quod adverſetur antiquis Scriptoribus, ut alia Launoji argumenta, quibus epiſtolam, qua confirmatio petitur, eſſe Suppoſititiam evincit.

ADDENDA.

Hincmarus Tract. 58. rationem reddit, cur Synodum Nicænam myſticam dixerit. Per teſtes proceſſiſſe Concilium Nicænum, apud Wallenburch. T. I. p. 750. aſſeritur. Quæ Pallavic. de Concil. Nicæno contra Petrum Svavem de poteſtate Papæ Concilia Oecumenica convocandi, deque aliis diſputat, in Apparatu ad Hiſt. Conc. Trident. c. 12. leguntur.

Sym-

Digitized by Google

Symbolum Nicænum cum Anathematiſmo e Theodoreti Hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 12.

Græcus textus.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ Φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινόν, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα· Παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. Τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ ἁγία καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

Verſio Latina Valeſii.

CRedimus in unum DEum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium Creatorem. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum Filium DEi, genitum ex Patre unicum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris: DEum de DEo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factũ: conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo ſunt & in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, incarnatusque & homo factus eſt, & paſſus. Qui reſurrexit tertia poſt die: aſcendit ad cœlos, venturus eſt ut vivos judicet ac mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt: Fuit aliquando tempus cum non eſſet, & antequam gigneretur non erat: vel quod de non extantibus factus eſt: aut qui ex altera ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe Filium Dei, aut converſioni mutationique obnoxium, anathematizat ſancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

P Con-

Concilii Nicæni 1. Canones 20. e Balſamone, Gentiano Herveto interprete.

Canon I.

SI quis a Medicis in morbo exciſus, vel a Barbaris exectus eſt, is in clero maneat. Si quis autem cum eſſet ſanus, ſeipſum execuit, eum etiam in Clero examinatum ceſſare convenit, & deinceps nullum talem oportet promoveri. Quemadmodum autem hoc manifeſtum eſt; quod de iis, qui de induſtria hoc agunt, & ſe ipſos audent excindere, dictum eſt. Ita ſi aliqui a Barbaris vel dominis caſtrati ſint, inveniantur autem & ii alioqui digni, tales in clerum admittit canon.

Canon II.

Quoniam multa, vel neceſſitate, vel urgentibus alioqui hominibus, præter canonem eccleſiaſticum facta ſunt, ut homines qui e vita gentili ad fidem nuper acceſſerunt, & exiguo tempore catechumeni, id eſt initiati, fuere, ſtatim ad lavacrum ſpiritale deducant, & ſimul ac baptizati fuerint, ad Episcopatum vel Presbyteratum provehant, recte habere viſum eſt, ut nihil deinceps tale fiat. Nam & Catechumeno tempore opus eſt, & poſt baptismum, probatione majore. Apertum enim eſt Scriptum Apoſtolicum quod dicit: non neophytum, id eſt, recens planatum, ne inflatus in judicium incidat & diaboli laqueum. Si autem procedente tempore, animale aliquod peccatum circa perſonam inventum fuerit, & a duobus vel tribus teſtibus convincatur, ceſſet qui talis eſt, a Clero. Qui autem præter hæc facit, ut qui magnæ Synodo adverſus eſſe audeat, ipſe de clericatu in periculum veniet.

Canon III.

Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat Epiſcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum qui ſunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam utique Matrem vel Sororem vel Amitam, vel eas ſolas perſonas quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.

Canon IV.

Epiſcopum oportet, maxime quidem ab omnibus qui ſunt in provincia conſtitui. Si autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptisque aſſentientibus, tunc Ordinationem facere: eorum autem, quæ fiunt, confirmationem

nem, in unaquaque provincia a Metropolitano fieri.

Canon V.

De iis qui a communione ſegregati ſunt, ſive clericorum, ſive laicorum ſint ordinis, ab Epiſcopis qui ſunt in unaquaque provincia: valeat ſententia ſecundum canonem qui pronunciat, eos qui ab aliis ejecti ſunt, non eſſe ab aliis admittendos. Examinetur autem, nunquid vel ſimultate, vel contentione, vel aliqua ejuſmodi Epiſcopi acerbitate, congregatione pulſi ſint: ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, recte habere viſum eſt, ut ſingulis annis, in unaquaque provincia bis in anno Synodi fiant: ut cum omnes provinciæ Epiſcopi in eundem locum communiter conveniant, ejuſmodi quæſtiones examinentur: & ſic, quos Epiſcopum offendiſſe, conſtiterit, juſte eſſe a congregatione ſeparati apud omnes videantur, donec Epiſcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem proferre ſententiam. Synodi autem fiant, una quidem ante quadrageſimam, ut omnibus animi ſordibus ſublatis, purum munus Deo offeratur: ſecunda autem, autumni tempore.

Canon VI.

Antiqui mores ſerventur qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat; quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſvetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis, ſua privilegia ac ſuæ dignitates & autoritates eccleſiis ſerventur. Illud autem eſt omnino manifeſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum. Quod ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea, & ex regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam qua delectantur contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.

Canon VII.

Quoniam obtinuit conſvetudo & antiqua traditio, ut qui eſt in Ælia Epiſcopus, honoretur, habeat honoris conſequentiam, Metropoli propria dignitate ſervata.

Canon VIII.

De iis, qui ſe ipſos Καθαροὺς, id eſt, puros, quandoque nominant, ad Catholicam autem & Apoſtolicam Eccleſiam accedunt, Sanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut impoſitis eis manibus ſic in clero maneant: ante omnia autem hoc in Scriptis ipſos profiteri convenit, quod adhærebunt & ſequentur Catholicæ & Apoſtolicæ decreta: id eſt, quod & cum digamis communicabunt, & cum iis qui in perſecutione lapſi ſunt, in quibus &

Digitized by Google

tempus conſtitutum eſt, & opportunitas præfinita, ut ipſi ſequantur in omnibus eccleſiæ decreta. Ubi ergo omnes, ſive in Vicis, ſive in Urbibus, ipſi ſoli inveniuntur ordinati, qui inveniuntur in clero, erunt in eodem ordine. Si autem catholicæ eccleſiæ epiſcopo vel presbytero exiſtente accedunt aliqui, clarum eſt quod eccleſiæ quidem epiſcopus, epiſcopi dignitatem habebit: qui autem apud eos qui Cathari dicuntur, nominatur epiſcopus, presbyteri honorem habebit, niſi utique epiſcopo placeat ipſum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel chorepiſcopi vel presbyteri locum excogitabit, ut eſſe omnino in clero videatur, ne in civitate duo ſint epiſcopi.

Canon IX.

Si qui citra examinationem promoti ſunt presbyteri, vel examinati ſua peccata confesſi ſunt, eisque confesſis, præter canonem moti homines manus impoſuerunt, eos canon non admittit. Quod eſt, enim a reprehenſione alienum, defendit eccleſia.

Canon X.

Quicunque ex iis qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis qui promoverunt, ordinati ſunt, hoc eccleſiaſtica canoni non præjudicat. Ii enim cogniti deponuntur.

Canon XI.

De iis qui ſine necesſitate, vel ſine facultatum ſuarum ablatione, vel ſine ullo periculo, vel aliquo ejusmodi, transgreſſi ſunt; quod ſub Licinii tyrannide factum eſt, Synodo viſum eſt, etſi humanitate indigni ſunt, Clementia tamen & benignitate in eos uti. Quicunque ergo germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles & ſeptem annis proſternentur ſupplices: duobus autem annis, absque oblatione, erunt orationum cum populo participes.

Canon XII.

Qui autem a gratia quidem evocati, & primum ſuum ardorem oſtenderunt, & cingula depoſuerunt, poſtea autem ut canes ad ſuum vomitum reverſi ſunt, ut non nulli etiam pecuniam profunderent, & beneficiis militiam aſſequerentur, hi decem annis proſternantur ſupplices, etiam poſt triennii auditionis tempus. In his autem omnibus examinare convenit Conſilium & Speciem pœnitentiæ. Quicunque enim, & metu, & lacrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem & opere & habitu oſtendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum eſt, merito orationum communionem habebunt, cum eo, quod etiam liceat epiſcopo humanius aliquid de iis ſtatuere.

Qui-

Digitized by Google

Quicunque autem non adeo graviter tulerunt, nec multum ſua referre exiſtimarunt, ſatisque eſſe putarunt in eccleſias ingredi ad converſionem, tempus omnino impleant.

Canon XIII.

De iis autem qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque ſervabitur, ut ſi quis vita excedat, ultimo & maxime neceſſario viatico privetur. Si autem deploratus & communionem aſſecutus, rurſus in vivos relatus ſit, cum iis qui Orationum ſunt tantum communionis participes. In ſumma autem, de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, epiſcopus cum examinatione eum oblatione impertiat.

Canon XIV.

De Catechumenis, & qui lapſi ſunt, viſum eſt ſanctæ & magnæ Synodo, ut ii tribus annis tantum audientes, poſtea orent cum Catechumenis.

Canon XV.

Propser multum tumultum, & ſeditiones, quæ fiunt, omnino viſum eſt, ut conſvetudo quæ præter canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut a civitate in civitatem nec epiſcopus, nec presbyter, nec diaconus transeat. Si quis autem poſt ſanctæ & magnæ Synodi definitionem tale quippiam adgreſſus fuerit, vel ſe rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur, & eccleſiæ reſtituetur cui epiſcopus vel presbyter ordinatus fuerit.

Canon XVI.

Quicunque temere & inconſiderate, nec Dei timorem præ oculis habentes, nec eccleſiaſticum canonem ſcientes, presbyteri vel diaconi, vel quicunque omnino in canone recenſentur, ab eccleſiis ſecesſerint, ii in aliena Eccleſia nullo modo recipi debent, ſed omnino cogendi ſunt in ſuas ipſorum Parochias redire. Vel ſi perſeverent, eos a Communione ſeparatos eſſe oportet. Sin autem etiam auſus fuerit quiſpiam eum qui ad alium pertinet, ſurripere, & in Eccleſia ordinare, non conſentiente proprio Epiſcopo, a quo receſſit, qui in canone cenſetur, irrita ſit ordinatio.

Canon XVII.

Quoniam multi qui in Canone recenſentur, plura habendi ſtudium & turpe lucrum perſequentes, divinæ ſcripturæ obliti ſunt: quæ dicit, argentum ſuum non dedit ad uſuram: & fœnerantes, centeſimas exigunt: æquum cenſuit ſancta & magna Synodus, ut ſi quis inventus fuerit poſt ſtatutum uſuras ex mutuo ſumere, vel eam rem aliter perſequi, vel ſesqui alteras exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quæſtus gratia, e clero deponatur, & ſit alienus a canone.

Digitized by Google

Canon XIIX.

Pervenit ad ſanctam Synodum, quod in nonnullis locis & civitatibus Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam, quod neque canon, neque conſvetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chriſti. Jam vero illud etiam cognitum eſt, quod quidam ex diaconis etiam ante Epiſcopos Evchariſtiam attingunt. Hæc ergo omnia auferantur, & Diaconi intra ſuas menſuras permaneant, ſcientes quod ſunt quidem Epiſcopi miniſtri, Presbyteris vero minores. Accipiant autem ſuo ordine Euchariſtiam poſt Presbyteros, eis præbente Epiſcopo vel presbytero. Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis ſedere. Id fit enim præter canonem & ordinem. Si quis autem non vult obedire, etiam poſt has conſtitutiones a diaconatu deſiſtat.

Canon XIX.

De Paulianiſtis, qui deinde ad Cath. Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, ut ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore præterito in Clericorum numero erant, ſi quidem a culpa & reprehenſione alieni viſi fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si vero examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem & Diaconiſſis, & omnino de omnibus qui inter clericos annumerantur, eadem forma ſervabitur. Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter laicos ipſæ connumerentur.

Canon XX.

Quoniam ſunt quidam, qui in die dominico genu flectunt, & ipſis diebus Pentecoſtes, ut omnia ſimiliter in omni parochia ſerventur, viſum eſt ſanctæ Synodo, ut ſtantes, Deo orationes effundant.

Epiſtola Synodica
e Theodor. Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 9.

Sanctæ & magnæ per Dei gratiam Alexandrinorum Eccleſiæ & dilectis fratribus per Ægyptum, Libyam ac Pentapolim conſtitutis, Epiſcopi qui Niceæ congregati magnum & ſanctum Concilium celebrarunt, in Domino ſalutem.

Quandoquidem Deo optimo maximo, eique chariſſimo Principe Conſtantino nos ex diverſis civitatibus ac provinciis congregante, ſacra & magna Synodus Nicææ celebrata eſt, prorſus neceſſarium duximus ab univerſo

verſo ſacro concilio etiam ad vos litteras mitti, ex quibus intelligere poſſitis quænam propoſita atque examinata, quænam item decreta ac ſtabilita ſint. Primum igitur habita eſt quæſtio coram piiſſimo Principe Conſtantino de impietate ac perverſitate Arii & Sociorum ejus. Cunctisque ſuffragantibus placuit, ut impia ejus opinio anathemate damnaretur, verbaque ac nomina blasphemiæ plena quibꝰ utebatur, dicens Filium Deum ortum ex nihilo, & fuiſſe aliquando tempus, cum non eſſet, & pro arbitrii libertate eum vitii ac virtutis capacem eſſe: & creaturam illum vocans atque facturam. Hæc omnia anathemate damnavit ſanctiſſima Synodus, opinionis hujus impietatem atque amentiam, & verba blasphemiæ plena, ne audire quidem patienter ſuſtinens. Et ea quidem quæ adverſus illum geſta ſunt, vel comperiſtis jam, vel brevi comperturi eſtis, ne nos inſultare videamur homini qui ſceleris ſui dignam mercedem recepit. Tantam vero vim habuit ejus impietas, ut Theonam Marmaricæ & Secundum Ptolemaidis Epiſcopum, ſecum in exitium pertraxerit. Nam & in iſtos eadem quæ in illum lata ſententia eſt. Sed quoniam Omnipotentis Dei gratia, pravitate quidem illius opinionis & impietate atque blasphemia, & iis hominibus qui in populo antehac pacato turbas ac diſſidia concitare auſi fuerant, vos jam liberavit: Meletii vero & eorum qui ab illo ordinati ſunt, adhuc reliqua erat contumacia: De his etiam quid ſtatuerit Synodus, vobis ſignificamus fratres charisſimi. Placuit igitur, clementius erga Meletium agente Synodo: Summo enim jure nullam veniam merebatur: ut is in civitate ſua maneat, nec ullam habeat aut manus imponendi, aut eligendi poteſtatem; nec hujus rei cauſa aut in vico aut in urbe ulla compareat, ſed nudum honoris ſui nomen retineat. Ii vero qui ab ipſo conſtituti ſunt, ſanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege, ut honorem quidem ac miniſterium ſuum retineant: ſecundo tamen ſemper loco ſint ab iis omnibus, qui in unaquaque parœcia & Eccleſia verſantur, a charisſimo collega noſtro Alexandro prius ordinati. Adeo ut his quidem nulla facultas ſuppetat, quos viſum fuerit eligendi, aut nomen cujuſpiam ſuggerendi, aut omnino quidquam gerendi ſine conſenſu Epiſcopi Catholicæ Eccleſiæ qui Alexandro ſubjectus eſt. Illi vero qui Dei juvante gratia veſtriſque precationibns, nullo unquam in Schismate deprehenſi ſunt, ſed in Catholica & Apoſtolica Eccleſia absque labe ulla perſeverant, poteſtatem habeant eligendi, & proponendi nomina eorum

qui

Digitized by Google

qui in Clerum eligi meruerint; cuncta denique peragendi juxta Legem & Sanctionem Eccleſiæ. Quod ſi quempiam eorum qui in Eccleſia cenſentur, diem ſuum obire contigerit; tum in defuncti Locum atque honorem provehantur, ii qui nuper adſciti ſunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat, ſuffragante nihilominus plebisque judicium confirmante, Alexandriæ urbis Epiſcopo. Et aliis quidem omnibus id conceſſum eſt. De Meletio vero ob priſtinam ejus contumaciam, & ob temerarium ac præceps hominis ingenium, aliter placuit decernere, ne poteſtas autoritasque ulla tribuatur homini, qui easdem rurſus turbas excitare poſſit. Atque hæc ſunt quæ ad Ægyptum, & ad ſanctiſſimam Alexandrinorum Eccleſiam privatim pertinent. Si quid autem præterea, præſente Domino & chariſſimo collega ac fratre noſtro Alexandro, ſancitum ac definitum eſt, id ipſe vobis accuratius referet, quippe qui geſtorum auctor ac particeps exiſtat. Nuntiamus præterea vobis de concordia ſanctiſſimi Paſchæ; hoc etiam negotium, precibus veſtris adjuvantibus feliciter confectum fuiſſe, cunctosque qui in Oriente ſunt Fratres, qui antea cum Romanis & vobiscum, & cum omnibus jam inde ab ultima antiquitate Paſcha obſervantibus minime conſentiebant, deinceps vobiscum eſſe celebraturos. Vos ergo læti atque hilares ob felicem rerum eventum, & ob communem omnium pacem atque concordiam, & quod hæreſis omnis penitus exciſa eſt, majore cum honore ac benevolentia Collegam noſtrum veſtrumque Epiſcopum Alexandrum excipite; qui & ſua præſentia maximam nobis attulit voluptatem, & in tam provecta ætate plurimum laboris ſuſtinuit, ut pax inter vos reſtitueretur. Orate etiam pro nobis omnibus, ut quæ recte conſtituta ſunt, firma permaneant per Dominum Noſtrum JEſum Chriſtum; facta ut credimus juxta beneplacitum DEI Patris in ſancto Spiritu, cui gloria in cuncta ſecula,

Amen.

)o(

Digitized by Google

Index Rerum & Verborum.

A.

ACeſius Novatianorum Epiſc. 62. 105. 106
Achilles Epiſc. Alex. 14. 15
Acta Concilii Alex. in Nicæno prælecta 42
Acta Concilii Nic. ubi extent. 1. 2. ſ.
- - Gelaſii Cyziceni 3. 4
- - Alphonſi Piſani 5
- - Guil. Lindani ibid.
- - Auctoris Gallici ibid.
Alexander Epiſc. CP. 17. 82. 83
- - - interfuit Conc. Nic. 30. 31
Alexander Baucalis Epiſc. Alex. 15. 16. 82. 83
- - - ejus epiſtola encyclica contra Arium 17. Arium excommunicat 17
- - - interfuit Conc. Nic. 31
Alexandriæ an lateant Acta Conc. Nic. 1
- - - Synodus 20
Amphion Epiſc. Epiphaniæ 89
Apollinaris error 102
Appellatio ad Romanam ſedem an in Conc. Nicæno decreta 78
Arelatenſe Concilium 24
Ariana hæreſis quando cœperit 24
- - dogmata ejus 54. 55
Ariſtarces vel Aroſtanes 33
Arius Meletio adhæret. 12
- - fit Diaconus 14
- - fit Presbyter 15
- - in hæreſin incidit 16. 17
- - deponitur 17
- - ejus epiſtolæ 19
- - in Concilio Nicæno auditus 41. 42
- - damnatus 56. 97
- - mors ejus 57. 58
- - ſtatua ipſi poſita 57
Arius alius 58
Athanaſius interfuit Concilio Nic. 31
- - an Præſes ejus fuerit 34
Auctoritas Concilii Nicæni impugnata 38. 39. ſ.

B.

Theod. Balſamon 73
de Baptiſmo quid ſenſerint Ariani 53
Baucalis parœcia 15
Bigami non ordinandi 77

C.

Cæcilianus Epiſcop. Carthaginenſis 89

Q Cæli-

Cælibatus Sacerdotum in Conc. Nic. non adprobatur 64.65
Canones Concilii Nicæni 63. f. 107
Clericorum conjugium an in Conc. Nicæno prohibitum 104
Colluthiani hæretici 21
Colluthus presbyter 20.21
Concilia œcumenica an convocarint Pontifices 77. ſ.
Concilium in Bithynia pro Ario 19
- - Palæſtinum ibid.
- - Conſtantinoplitanum an convocaverit Damaſus 77
- - Arelatenſe an de Arianis egerit 24.87
- - Eliberinum 87
- - Romanum 25.88
- - Vaſionenſe 52
Conjugium Clericorum an in Conc. Nicæno prohibitum 109
Conſtantini M. baptiſmus 4
- - vicennalia 9.10
- - natalis imperii 9
- - indixit Conc. Nic. 10
- - epiſtola ad Arium & Arianos 23.86
- - an Præſes fuerit Conc. Nic. 34.35.ſ.
- - Orationem habuit 37.95
Conſtantinopoli an lateant Acta Conc. Nicæni 1

D.

Dalmatius Diaconus 31
Damaſus Pont. an Conilium CP. convocaverit 77
Diatomitæ Ariani 50
Donatiſtæ an in Conc. Nicæno damnati 62
Doxologia Arii 51.52

E.

Eliberinum Concilium 87
Epiſcopi quot Concilio Nicæno interfuerint 25.26.88.89
Epiſtolæ formatæ 77
Euſebius Epiſc. Cæſarienſis 18
- - Nicomedienſis 33
- - confecit Symbolum Arianum 43
- - Pamphili 38
Euſtathius Antiochenus Epiſc. 32
- - an præſes fuerit Concilii Nicæni 34.93
- - orationem habuit 37
Eutychii annales & origenes 70.71
Eutychius Epiſc. Amaſenus 89
Exocionitæ Ariani 49

F.

Filius Dei non ex altera cum patre hypoſtaſi 50
- - etiam humanum corpus aſſumſit 53.54
- - alia de eo Arianorum Dogmata 54

G.

Gregorius Armenus 33
Gregorius X. Pont. 1

H.

Hermogenes Diaconus 91. Presbyter 31
ὁμοούσιος quid notet 46.47.100

Ho-

Digitized by Google

Honorius Papa Monotheleta 11
Hoſius Cordubenſis Epiſc. 20. ſ.
- - Concilio Nicæno interfuit 26.27
- - cur reliquis Epiſcopis præponatur 28.90
- - an a Romano Pontifice miſſus 28.29.90.33
- - an Præſes fuerit 34
- - an Symbolum Nicænum confecerit 98
de Hypoſtaſibus in Trinitate contentio 21. 22

I.

Jacobus Niſibitanus Epiſc. 89
Illiberitanum Concilium 87
Iſchyras Presbyter 21
Iſidorus Mercator, quid de eo ſentiendum 72
Judicia de Patribus Nicænis 36.37.ſ. 96
Julius Pont. an ſub eo habitum Conc. Nicænum 29

L.

Lactantius quando divinarum inſtitutionum libros ſcripſerit 81.82
Leontius Cæſareæ in Cappad. Epiſc. 31.92
Lucifer Calaritanus 21. 85
Lugdunenſe Concilium 1
Lutherus an ὁμοουσίας vocem oderit 47

M.

Macarius Epiſcop. Hieroſolymitanus 33
Meletius Thebaidos Epiſc. 12.13
Meletii ſchiſma 13. 62.105
Menophantus Epiſc. Epheſius 89
Metrophanes Epiſc. CP. 27. 30
Militiam an improbaverint Patres Nicæni 110

N.

Nicæa Bithyniæ urbs 6. 75. 76
- - in ejus templo & palatio habitum Concilium 6. 7
Nicaſius Epiſc. Dienſis 33
Nicolaus Myræ Epiſc. 89

O.

Oſius v. Hoſius.

P.

Paphnutius 33.92
de Paſchate contentio 22.85.104
- - quando celebrandum 59.ſ.
Patrophilus Epiſc. Scythopolitanus 89
Paulinus Tyri Epiſc. 32. 92
Paulus Epiſc. Neocæſarienſis 89
Pelagius II. an ſibi poteſtatem convocandi concilia oecumenica arrogaverit 77.78
Petrus Alexandrinus 14
Philoſophorum gentilium in Conc. Nicæno conflictus 62.63
Photinus an in Concilio Nicæno damnatus 62 106
Pontifex Rom. an convocare poſſit Concilium 77.ſ.
Porphyrius Arium ab exilio liberavit 57
Potamon Heracleenſis Epiſc. 89

Præſes Concilii Nicæni quisnam fuerit 34

R.

Romanum Concilium 25.88

S.

Sabinus Heracleæ Epiſc. Macedonianus 38.39
- - Patres Concilii Nicæni perſtringit 38
Secundus Ptolemaidos Epiſc cum Ario damnatus 56
Symbolum Apoſtolicum an in Concilio Nicæno editum 44
- - Arianorum quis confecerit 43
- - Nicænum quis confecerit 44. ſ. 98
- - Antiochenis Patribus tribuitur 45. 46.99
Spiridion 33.93
Spiritus S. divinitatem impugnat Arius 51
SubſcriptionesConcilii Nicæni 33.34
Suburbicariæ Eccleſiæ 65
Sylveſter Papa non indixit Conc. Nic. 10.11
- - ſub eo habitum eſt 29. 30
Synodus Alexandrina 20

T.

Theognis Epiſc. Nicænus 89
Theonas Marmaricæ Epiſcopus 89
- - cum Ario damnatus 56
Thomaſinus 80
Traditio Apoſtolica alterum religionis Fundamentum 43
Franc. Turrianus 70

V.

Vaſionenſe Concilium 52
Vicennal a Conſtantini 9
Vincentius Rom Pont. Legatus 34
Vito Rom. Pont. Legatus 34
Ουσία an ab ὑποςάσει differat 21.22.85

Errata.

P. 3. l. 22. l. rumoribus. p. 5. l. 15. l. NICOLINUS. p. 14. l. 18. l laceratam. p. 35. l. 31. l. Gelaſium Cyzicenum. p. 37. l. 3. & 5. l. proœmium. p. 42. l. 23. l. paulo. p. 46. l. 13. homouſii. p. 48. l. 12. l. ὁμοούσιον. p. 54. l. 13. l. fuerit. p. 61. l. 1. l. Noris. l. 3. l. 1696. p. 63. l. 8. l. SOCRATES.